
GAUDEO.


Ad Usum FF. Min: Conv. S: Fra[illegible]
Werdensteinensium.

G. Ens

Indiae

Occidentalis

1612



INDIAE OCCIDENTALIS HISTORIA:

IN QVA PRIMA REgionum istarum detectio, situs, incolarum mores, aliaque eò pertinentia, breuiter explicantur.

EX VARIIS AVTORIBVS collecta,

Opera & studio

GASPARIS ENS L.

COLONIAE,
Apud Gulielm. Lutzenkirchen.
Anno MDCXII.

NOBILIBVS, AMPLISSIMIS, Consultissimis, spectatæ Virtutis & eruditionis Viris:

D. IOANNI MVYSGENIO, Iuris Vtriusque Doctori:

D. GOTOFRIDO LAVTERBACHIO, I.V.D. Illustr. Principi D. Mauritio Nassouio, &c. à Consilijs:

D. HENRICO BILDERBEQVIO, Illustriss. & potentissimorum Belgij Confederati Ordinum, &c. in Agrippina res Agenti &c.

DDD. patronis, fautoribus & amicis summe obseruandis, S. P. D.

MVltis rebus quidem superius illud sęculum gloriari potest: sed meo iudicio, nulla re magis (quantum quidem ad temporales res attinet)

net)quod ad gentes à noſtro orbe remotiſſimas, numero infinitas, multitudine innumerabiles, omni priſco æuo incognitas, aditũ nobis patefecit, & multo maximã terreſtris huius Orbis partẽ detexit. Quis enim neſcit quãtæ inde opes, quam inuſitatę variarũ rerum ſpecies in Europam noſtrã inuectæ ſint: vt ſi maiores illi noſtri in hãc lucẽ ad nos redeant, in illum ipſum Nouum Orbẽ delati ſibi videantur. Quamuis autem non immerito dubitari poſſit, præſtetne regiones illas in perpetuũ latuiſſe, quã vnà cum illarum opibus (vt

olim

olim Romã, deuicto Attalo Asiæ Rege) exoticum luxum ac peregrinas delicias totam Europam peruasisse: illud tamen pro singulari Dei beneficio habendum, neminem inficias iturũ arbitror, quod nationes moribus efferæ, immanitate barbaræ, & nihil ferè præter hominum speciẽ habentes (Canibales potissimum & Brasilianos anthropophagos intelligo) ad meliorem vitæ cultum reductę, & qualicumque Christianæ religionis lumine illustratæ sunt: quod vt illis in dies magis magisque & clarius illucescat, Deus ter Optimus

votis omnibus eſt comprecandus.

Porro harum omnium nuper repertarum regionum & gentium hiſtoriam dignam omnino eſſe quæ litteris cõmendetur, nemo exquiſitioris doctrinæ cupidus, opinor, negabit. Quam multa enim, immo quid non hic occurrit, quod non ſingularem in animis noſtris pariat admirationem! Siue enim homines ipſos, ſiue animantia, ſiue herbas & ſtirpes, vniuerſas denique almæ matris, Terræ inquam, opes conſideremus: tot tantaque Naturæ, vel potius ſummi illius

illius Opificis miracula animis, aut etiam ſi adſpicere tale quid detur, oculis nostris ſeſe ingerent, vt Eccleſiaſticum tam vere quam ſapienter, Mundum tanquam controuertendi & diſputādi materiā hominibus propoſitum, dixiſſe vltro ſimus faſſuri.

Quamuis autem à compluribus Noui huius Orbis res ſcriptis traditæ exſtent; pleraque tamen omnia vel peregrinis linguis, aut magnis voluminibus ſunt comprehenſa. Quocirca operæprecium facturum me putaui, ſi præcipua variarum Naui-

uigationum & Descriptionum Occidentalis Indiæ capita Lectori cõmunicarem.

Hanc meã qualẽcumq; opellã, *Viri, Amplißimi & spectatißimi*, vobis consecrare volui, vt sit & meæ erga vos obseruãtiæ, & grati pro multis mihi præstitis beneficijs animi perpetuũ testimoniũ: enixè rogãs, vt non tã ipsum munusculum quã dantis animum spectare velitis; Deũ vero venerãs vt vos vestraq; omnia fortunare velit. Ego quidẽ, *Viri nobiles, Amplißi. & spectatißimi*, sum ac moneo vobis.

totus addictus,

Coloniæ ipsis Calendis Ianuar. Anno M D C XII.

GASPAR ENS L.

JNDIÆ OCCIDENTALIS HISTORIA,

EX VARIIS AVCTORIBVS collecta, & in conuenientem ordinem redacta.

CAPVT I.

De primis Nauigandi initijs, Nauium varij generis ac formæ inuentoribus; deque regionibus ad frequentandas Nauigationes maxime commodis & instructis.

CVM Noui huius, quem describere aggredimur, ac nostro multis partibus maioris Orbis inuentio tota Nauigandi Arti debeatur: de primis eius initijs pauca præfari visum est. Ac primum quãuis Deus Opt. Maxim. humano generi abundè satis consuluerit, dum ei Terram veluti solidum & ad sustentationẽ elementum satis idoneum dederit; mi-

nime tamen se intra limites suos continere valuit: impulsū seu auaritia, seu lasciuia, seu inanis gloriæ cupiditate, vt Cælum etiam ac Mare tentare non expauerit. Nonne Dædalus fabricatis alis cælum ipsum adiuit? nonne modo sæua pecuniæ cupiditate obcæcati, tenui ligno freti, Mare non modò sulcamus, sed habitamus propemodum? Quod Horatius etiam cōqueritur inquiens:

--- Nequicquam Deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili
Terras, si tamen impiæ
Non tangenda rates transiliunt vada.
Audax omnia perpeti
Gens Humana ruit per vetitum nefas.

Et in eum paulo superius qui hoc primum tentauit: *Illi robur & æs triplex*
Circa pectus erat, qui fragilem truci.
Commisit pelago ratem
Primus. Et Propertius de Peti naufragio dicit:
Ergo sollicitæ tu causa pecunia vitæ es.
Per te immaturum mortis adimus iter.
Ite rates curuæ & lethi quoque texite causas.
Ista per humanas mors venit acta manus.
Idem: *Natura insidians pontum substrauit auaris.*

Atque adeo ab initio Mare à mortalibus frequentatum est, vt deinceps omissis ratibus, quibus primum est nauigatum, naues instar domorum ædificarint, quibus etiam nunc totum ferè pelagus sternitur. Et ita nauigandi arte comperta, Maris imperium sibi pro se quisque vindicare ausus est, in eoque non secus ac in Terra bella gerere. Primus autem, Strabone teste, Minos Mari imperauit: quod Diod. in sexto, Nep- tuno

Minos

tuno assignat, qui primus nauigandi artem inuenit. ait enim: Neptunus secundum Cretnenses, primus nauigandi arte inuenta, classem instituit, eiusque præfectus est à Saturno factus. quapropter traditum est posteris Neptunum imperasse mari. Cretenses omnino iampridem nauigandi principatũ tenuerunt, à quibus propterea id fluxit prouerbium: *Cretensis Mare nescit*, in eum qui ea quæ probe nouit se ignorare dissimulat. Primum autem, authore Plin. inuentis ratibus in Mari rubro inter insulas ab Erythra Rege nauigari cœptũ est. Ipsas vero rates alij Mysios & Troianos priores inuenisse in Hellesponto putant, cum transirent aduersus Thraces. Alij in Oceano Britannico primum inuentas produnt, corio circumsutas. Nauem, ait Plinius, primus in Græciam ex Aegypto inuexit Danaus; alij à Samothracis inuentam dicunt, aut ab Atlante, alij Neptuno, alij Mineruа. Quantum autem ex sacris literis colligitur, nullum vetustius fuit nauigium ipsa Arca Noe, quam ipsius Dei instinctu construxisse legitur, quæ à Beroso Chaldæo nauis etiam appellatur. Meritò igitur & nauigandi & condendarum nauium vsum primum à Noe, ante quem (quod memoriæ proditum sit) nemo Mare tentauerat, fluxisse credemus: præsertim cum, tradente Iosepho, illius nepotes dum alij aliam Orbis regionem ad habitandum peterent, multis nauibus vsi fuerint. Tibullus autem Tyrijs assignare illud videtur inquiens:

Neptunus. *Cretenses.* *Erythra* *Mysii* *Troiani* *Nauis* *Tyrii.*

Vtque maris vastum prospectet turribus æquor,
Prima ratem ventis credere docta Tyros.

ob hoc fortasse, quod Tyrij diu nauigandi arte excelluerunt. Ex quo fit vt etiam qui post tempora Noe ad hanc vsque ætatem huiusmodi artem exercuerunt, non nihil bene meriti sint. nam cum nulla ferè ars intra initium suum steterit, multa idcirco cum nauigiorum tum cæterarum rerum nauticarum genera reperta sunt, quæ plurimum artem illustrarunt. Longam enim nauem Iason primus ædificauit, qua apud Aegyptios Sesostris Rex primus omnium postea vsus est. Biremem Erythræi fecerunt. Triremem Amoclem Corinthiũ inuenisse prodit Thucydides. Quadriremem Carthaginẽses, secundũ Aristotelem. Quinqueremem instituit Nesychthon Salaminius, quod nauigij genus Romani primi omnium in Italia, in apparatu primi belli Punici ædificarunt. Sed ordinũ Zenagoras Syracusanus, ab ea ad deciremen Nesigiton, ad duodecim ordines Alexander Magnus, ad quindecim Ptolomæus Soter, ad triginta Demetrius Antigoni, ad quadraginta Ptolemæus Philadelphus, ad quinquaginta Ptolemæus Philopator, qui est Tryphon cognominatus. Onerariam nauem Hippius Tyrius inuenit, Lembum Cyrenenses, Cymbam Phœnices, Celocem Rhodij, Cicerum Cyprij, Lintres Germani circa Danubium habitantes, Scaphas Illyrij, quæ nauiculæ maiores sequuntur naues Remum autẽ Copæ inuenerunt, latitudinem eius Plateæ, vela Icarus. Diodorus tamen dicit Aeolũ velis vti nautas docuisse. Malum, id est arborem nauis, & antennam Dædalus. Hippagines, seu, naues quibus equi vehuntur Salaminij vel Athenienses: Tectas longas Thasij. Rostra addidit Piseus, Tyrrheni

Iason.

Hippius.

rheni anchoram; Eupalamius eandem fecit bidentem: quod inuentum quidam Anacharsidi ascribunt, qui inuenit harpagonas, id est, telum in summitate aduncum quo nauigia capiuntur, ab ἁρπάζειν quod est rapere. Adminicula gubernandi Tiphys, sumto à miluo aue exemplo: hæc enim auis videtur artem gubernandi docuisse caudæ flexibus. Classe verò primum depugnasse Minoem author est Plinius. Hæc de nauigiorum primis inuentoribus. Cum autem sæculorum progressu ars ac vsus nauticus tantum incrementi sumpserit, vt Regum ac Principum potentia ex Maris cui dominantur amplitudine, nauiumque numero ac præstantia æque hodie metienda videatur, quàm ex regionum ac vrbium numero vel opulentia; Heroum etiam virtutes tam in Mari quàm Terra toti Mundo ac posteritati semper inclaruerint: nil mirum si & hodie hac in facultate magnificentiam suam Principes, Heroes autem virtutem ostentent. Vt quondam Romani licet in nullam gentem aut vrbem importunè aut iniuste vnquam grassati fuerint, Corinthum tamen deleuerunt, saltem loci opportunitatem spectantes, ne posset ad bellum inferendum aliquando locus ipse adhortari. Tanta autem totius Mediterranei Maris insularum, peninsularum, chersonesorum, promontoriorum, isthmorum &c. est commoditas, vt quiuis cum reliquis certare videatur. Italiæ certè magna est opportunitas, dum versus Longobardiam, Alpibus munita, versus cetera Adriatico, Africano, & Tyrrheno circundetur Mari: ita vt facilè olim non aquarum modò sed terrarum etiam omnium imperium tenuerit. Nec profe-

Italia.

Constantinopolis.

cto minor est commoditas freti Hellespontici, vbi Constantinopolis est sita. iste enim locus si accuratè consideretur, non Maris tantum in Mare, sed terræ etiam in terram (Europæ scilicet in Asiam) quasi pons est & porta: ita vt non adeò desipuisse videatur Constantinus Cæsar, qui sedē Imperij ex Italia Bizantium quondam transtulerit. Omnium verò opportunissima sedes ipsa Hispania videri potest, quę non tantum totius Mediterranei in Oceanum, sed totius etiam Europæ in Africam commodissimam se præbet portam. vnde etiam in vnius Hispaniæ Regis arbitrio est, vt vel vlla nauis ex omni Mediterraneo in Oceanum, aut ex vniuerso Oceano ad vllam Mediterranei Maris vrbem (quarum innumeræ penè sunt) ingredi possit. Cuius ipsius Regis etiam tanta est non per Mare illud tantum, sed per amplissimum quoque Oceanum potentia, quanta nullius vel Regis vel Principis in vniuerso Orbe deprehendi potest. præter enim Hispaniam, etiam Siciliæ, Sardiniæ, & nobilissimum illud Neapolitanum possidet regnū. Ducatum quoque Mediolanensem, præter cæteras quas in Belgio habet prouincias. vt pręteream hic Americam seu Indiam nouam, de qua agere hic constituimus; magnificum illud fretum Magellanicum per quod ex Oceano in Oceanum, & ex Peruuia in Australem terram peruenitur: quàmplurimos insuper in Africano littore ad vsque Bonæ spei caput portus insignes. Hic tamen ambigere omnino posses, si ad Europes vsum ac conditionem spectare velis, opportuniorne Hispaniæ an vero Galliæ esset situs. Gallia siquidem æquè ac Hispania inter Mediterraneum &

Hispania.

Gallia.

um & Oceanum eſt ſita: ita vt licet Gallo Medi-
terranei Maris naues præcludantur quo minus
ingredi Oceanum poſſit; à parte tamen Septen-
trionali patet ipſi Oceanus. Poteſtque Gallus
viciſſim Hiſpano viam ad montes Pyrenæos ob-
ſtruere, quo minus itinere pedeſtri vel in Belgi-
um vel in vllam totius Europæ prouinciam per-
uenire poſſit: vt olim ampliſſima duo hæc Reg-
na de præſtantia certaſſe non immerito videri
poſſint. Videamus nunc Britannicæ inſulæ ſitum.
Hæc ab occidente Hiberniam ſpectat, inſulam
maximam, Angliæ Regibus ſubiectam; à Septen-
trione Scotiam ac Noruegiam; à Meridie Gal-
liam; ab Ortu verò Daniam & Germaniam.
Promontorium habet nobiliſſimum Cornubi-
am; atque in intimo penè Cornubiani Maris ſi-
nu Briſtoniam vrbem & emporium nobile; cui
ad omnes Occidentalis plagæ partes commo-
diſſimus patet tranſitus. Eſt præterea ipſa re-
gio omni nauium genere locupletiſſima, Ocea-
nique circumiacentis non modo, ſed & reliqua
rum aquarum cultores inſula habens ſolertiſ-
ſimos, non tantum ad prælia quæuis naualia im-
perterritos, ſed ad remotiſſimas etiam Mundi
plagas luſtrandas ſagaciſſimos. Ad eundem mo-
dũ & Scotia, quæ licet propter Noruegiæ vici-
nitatẽ ſcopuloſior ſit, portuũ tamẽ ad omnes ter
ræ plagas patentiũ multitudine nõ caret, eſtque
eadẽ vtrique genti in bello ferocia: ſagittis ta-
men Angli, haſta longa Scoti in acie præualent.
Et quanto rarior ante hæc tẽpora inter eos pax
fuit; tanto iam duobus his regnis ſub fe-
liciſſimis Iacobi Regis auſpicijs, coniunctis
maiores Britannici Regis vires cenſendæ ſunt.

Anglia

Scotia

Sed ad Daniæ Regem. huius certè imperium lõdè lateq́ue extenditur. Subeſt ipſi namque non ſolum magna tum Maris Germanici tum & Oceani Germanici pars; ſed & totus fermè Oceanus Septentrionalis. Nam præter Daniam, Dithmarſiam, Holſatiam, immenſam quoque Noruegiam tenet; quin & ipſam vltimam Thulen (vt Maronis vocabulo vtar) bonamque Finmarchiæ partem. Nauibus onerarijs ac mercatorijs omnis eius ditio refertiſſima eſt. Populum habet quidem in re nautica ſatis exercitatum; in bellicis tamen negotijs etiamſi parum ſudarint, ad omnes tamen hoſtium incurſus animoſos ac impauidos teſtetur vel vnica iſta in Suecos expeditio; quod quidem bellum ante annos complures omine feliciori compoſitum fuit quàm vt in mercatorum ac nauigantium detrimentum continuari debuiſſet. Nobiliſſimum præterea fretum illud quod Daniam diuidit ac Gothiam, quantos ſolo telonio reditus ærario Danorum Regum importet, exteris non tam veriſimile quàm omnibus Hanſeatici federis vrbibus notum eſt. Huic vicinus eſt Rex Suetiæ Sigiſmundus, quem etiam Poloni ſibi Regem delegerunt, cuius imperio in ſeptentrionali Mediterraneo Maria multa ſubſunt, habetq́ue Regnum ampliſſimum in plurimas diuiſum prouincias, quarũ diuerſi etiam populi numerantur, vtpote Hallandia, Kindia, Smalandia, Oſtrogothia, Vveſtrogothia, Nercia, Sudermania, Firingia, Dalecarlia, Helſingia, Iemptia, Midelpadia, Angermania, Boddia occidentalis, Lappia, Finmarchia, Schricfinia, Corella, Boddia oriẽtalis, Taueſtia, Finlandia, ac inſulæ permultæ, quarum præcipua

Suetia.

pua

pua Gothiæ eſt in Mari Suedico, pleræque autem in Liuonico ac Boddico ſinu. Gens ipſa licet diuturna iam pace beata fuerit, bellicoſa tamen & pugnax terra marique ſemper extitit; vt ex Vandalicis alijsque veterum Hiſtorijs liquet. An vero Batauorum in re nautica ſolertiam hoc loco prçterire conueniet? quibus licet non Maria tãtum omnia, ſed vniuerſus etiam Oceanus (præter vnum cui adiacet Germanicum) totumque Mediterraneum illud Septentrionale in freto Danico obſtrui poteſt, deinde ſi Oceanum Occidentalem recta ingredi conentur, faueat niſi Gallus & Anglus, inter Caletum ac Doueram retineri poſſunt, ita vt exitus ipſis nullus niſi verſus Septentrionem inter Noruegiam & Orcadas inſulas pateat; cuius freti tanta eſt latitudo, vt paucarum nauium vis ad plurium exitum reprimendum non ſufficiat: attamen mirum eſt ac incredibile penè, quanta nauium vi, itinerũ perſpicacitate, prœliorum naualium felicitate, ad remotiſſimas terras percurrendi dexteritate & ſucceſſu annis iam abhinc aliquot floruerint, proprijs vt plurimum viribus (ſolius videlicet Dei auxilio præſente) ac virtute innixi, qui aduerſum ſibi potentiſſimum Hiſpaniæ Regem iam ſupra annos triginta habuere. Auſpicijs interim multa eaque præclara aggreſſi facinora olim Guilhelmi Principis Auriaci, nunc vero maximè filii ipſius Mauritij, bellatoris longè peritiſſimi, ita vt nuper inſolitum & nunquam antehac tentatum, per Oceanum glacialem ſeu Borealem, in Indiam Orientalem iter ſuſceperint, per vſitatam vero viam multa feliciſſimo omine perfecerint; & varijs aromatibus

Batauï.

Mauritius Comes.

aliisque thesauris Indicis in patriam ouantes redierint: vt longiore de eo narratione hic opus non sit, foliorũ nec angustia eam patiatur. Quanta certe nauium vi ac numero sola Hollandia polleat, vel ex hoc conijci licebit, quod Henrico Ranzouio teste, prateritis iam aliquot annis intra fretum Danicum supra sexcentas Batauorum naues (quo tempore minus bene Danis cum Batauis conueniebat) Rex detinuerit donec voluntati ipsius satisfacerent. quid si illis annumerarentur & cæteræ per varias Orbis partes dispersæ naues? nedum eæ quas in portibus ac vrbibus eorum delitescentes quotidie videre est. Sed quid in Batauis hoc mirum, cum ipsa

Venetia Venetorum vrbs incommodissimo (si accuratius situm eius considerare velimus) totius Mediterranei condita sit loco. loquimur autem hic non de munitionis sui, sed de imperandi aliis commoditate. nam cũ in intimo Hadriatici sinus structa sit recessu; egressus eis primum est longissimus, quocunque terrarum aut vrbium tendant, ita vt per Mare superum tanquam per longum latumque fretum meare cogantur, priusquam vel in sinum Tarentinum, aut Cephalonium Mare peruenire possint. Videmus ergo virtutem vt in aliis, ita in his quoque frenum Fortunæ iniecisse: quia hodie cunctis Mediterranei incolis & accolis formidabiles fere sunt, ob immẽsam eorum potentiam & vim nauticam. Est enim vrbs summæ & potentiæ & admirationis. intra vrbis ambitum nauale est, lacus pass. mill. duorum circuitu, mœnibis vndique validis munitus & cum opportunis ad custodiã turribus: quẽ Arsenale vocant; intus 40 o. hominum operis perpetuo na-

ues

pes ædificantur: meritoque totius Italici nominis gloria decusque; præter alia, nauali prælio de Turcis deportata victoria. anno namque Christi 1572. 8. Octobr. authore prudentissimo viro Augustino Barbarico Senatore Veneto, instructa classi Turcis in Mari supero obuij facti, totam eius (quæ innumerabilis pene summaque vi munita erat) funditus classem euerterunt, multis Turcorũ millibus captis, captiuorum Christianorum quãplurimis ex eorum manibus liberatis. nec ita multo post haud minorem in Epiro prope Echinades victoriam nacti fuere, Pari etiam fide ac virtute in bello hoc Vngarico Cæsarianorum copiis auxilio fuisse vidimus. Duces autem ex proprio suorum corpore (vt nunc loquimur) sibi deligunt ac constituunt, quorum prudentia & virtus ea perficere solent, quæ Reipublicæ opibus atque armis peragenda suscipiunt.

CAP.

CAPVT. II.

De ijs qui primi Indiæ Orientalis aditum nostris aperuerunt, inprimis de Christophoro Columbo.

INCERTAM & fluctuantem adhuc de situ orbis doctrinam Claudius Ptolemæus geographorum princeps, emendatis aut correctis Marini Tyrij & priorũ traditionibus, adiectis insuper certis longitudinis & latitudininis notis, primus ad rationalem modum reduxit & quam potuit cõmodissimam luculentissimamique posteris terræ cognitæ descriptionem reliquit. Sed cum historijs fidisque nauigantium narrationibus destitueretur, descriptionẽ suam octogenis latitudinis partibus conclusit, neque vltra centesimũ octogesimum longitudinis gradum extendere potuit, quod antiquitas existimaret, residuum oceano, aut terra incognita claudi, multisque seculis rata stetit Ptolemæi sententia, donec patrũ nostrorum memoria, Castellani in occidente nouas terras inuenere, & Lusitani omnib. Africę littoribus superatis, orientalẽ Asiæ partem continuis nauigationibus detexere: tũ demũ inueterattus priscorũ error deprehẽsus, & immẽsa patuit detecti machina mundi, tum certatim pleræque gentes superatis nouis incognitisque maris tractibus, ad inaccessos antea populos, ingenti ausu penetrarũt. Phœnices olim ante bis mille annos & vltra Hispanias classibus adiere Carthaginienses similiter nauigatione ad Austrum extra columnas Herculeas instituta, nouas terras inuenere,

Ptolemaica descriptionis termini.

uenere,sed illæ nauigationes exiguæ aut ſtatim intermiſſę;Hiſpanorum & Luſitanorum nauigatio,toto iam ſeculo,annuis claſſibus frequẽtatur,nouoſque indies populos detegit aut domat.Aliæ nationes parum felici ſucceſſu idem aliquando tentarunt, quando eiectæ profligatæque victricibus Hiſpanorum armis , vacuam illis horum regnorum poſſeſſionem reliquere. Sed quia, pro complemento Indiæ Orientalis, Occidentalis quoque ſiue Americani Orbis deſcriptionẽ inſtitui: non abs re fore arbitror, rem ab exordio repetere,nam cognitio rei tam memorabilis,narrationem mihi videtur exigere pleniorem,propterea quod harum terrarum detectio,prioribus omnibus memorabilior fuerit,& vtilior .Tantæ expeditionis dux & author fuit Chriſtophorus Columbus,vir omnium ſeculorum memoria digniſſimus:Quem benigna ſalutarium ſyderum radiatione natum eſſe,exiſtimare fas eſt , vt præfulgidum iubar naſceretur ſeculo noſtro, quod priſcorum heroum Herculis& Liberi patris famam obſcuraret,quorum memoriam grata olim poſteritas, æternis literarum monumentis conſecrauit. Chriſtophorus Columbus natus in Cucurienſi, ſeu vt alij malunt,aſpero ignobilique Arbizolo Liguriæ vico,à prima adoleſcentia diuerſis nauigationibus exercitus relicta patria in Luſitaniam,aut,vt alij volunt , Maderam commigrauit,vbi conficiendis hydrographicis nauigationum membrauis , præcipuè littoralis Africæ oræ(quæ tunc temporis nondum ſatis cognita erat)nauigantibus operam dabat , cumque extra columnas Herculeas nauigans , frequentiores

Chriſtophorus Columbus.

Columbi patria.

res

res occidentales ventos obseruasset, reputans secum ventos venire ex terrestri aliqua orbis parte, quæ nisi in illo cardine extaret, nulli vnquam ab occasu spirarent, quæ ipsi in occidente terras esse conijciendi, quod res ipsa docuit, vera fuit ratio. Fortè sub id tempus nauis ex Hispanico littore anchoram soluerat, quæ oceanum ingressa, improuisa orientalium ventorum procella post aliquot dierum iactationem ad terras quasdam incognitas delata est. Nauclerus reflantibus secundis ventis, amissis pene omnibus naualibus socijs, quos aut fames, aut morbus absumpserat, in reditu à Columbo perquàm humaniter hospitio exceptus, eidem totius nauigationis seriem exposuit, terræque incognitæ ad quam procellis abreptus fuerat, gradum & parallellum indicauit, ac nauigatoriæ membranæ adscribi curauit. sed gubernator ille siue nauarchus, longa iactatione alijsque incommodis fractus, post paucos dies excessit è viuis, relinquens alijs materiam immortalis gloriæ. hæc prima occidentis notitia, sed pressa est satis insignis facti gloria, quod neque naucleri vsquam nomen extet, quo eius memoria posteris commendaretur: fama est fuisse Andalusium, Cantabrum seu Biscainum alij fuisse tenent. Exinde Columbus incensus rerum nouarum studio, spes nouas agitare, & cupidine visendi parallelum incognitum duci cœpit. Genuensibus itaque suis (qui omnia quondam maria peruagati præclaram maritimæ rei opinionem reportarant) primum rem aperit, affirmans si nauibus instructis iuuaretur, se extra Herculeas columnas, vltra occidentem solem ad aromatum aurique feraces-

Prima Occidentis notitia.

Columbi assidua & constans sollicitatio

ces terras perrecturum. ſed Genuēſibus hæc omnia (vti erant) noua, & in illum vſque diem inaudita, etiam impoſſibilia videbantur. Ideoque Columbi petitionem rationibus quantum videbatur non ſubnitentem, tanquam ridiculam reiecerunt; quare conceptus conſilijque ſui perficiendi ſpem in alijs ponens, quid tamen faceret incertus hærebat. nam Portugalliæ Rex Africanis rebus implicabatur, & Caſtiliç Reges Granatenſi bello impediebantnr: quoque ardentius profectionem animo volutaret, hoc in incertum magis implicabatur, recordatione ſuæ tenuitatis, ſentiens ſiue ad inſtruendam claſſem, ſiue ad demerendam externi Regis aut purpuratorum gratiam, minus ſibi potentiæ viriumque ſupereſſe, quàm deſtinatæ profectionis & diuitiarū quas animo præceperat magnitudo depoſceret. Inter has cogitationes ad Henricum ſeptimum Anglorum Regem, qui tum opum opinione cæteros anteibat, &; pacificè ſine vllis bellorum motibus, regnum moderabatur, Bartholomæum fratrem miſit, qui pro detegendo Occidente ſubſidia peteret; cumque ab Henrico nihil impetratum eſſet, Alphonſum eius nominis quintum Luſitaniæ Regem, eodem conſilio adijt, ſed nihil hic quoque perfici potuit, propter pertinaces contradictiones Doctoris Calciadigliæ Epiſcopi Viſenſis, & Magiſtri Roderici, qui tum celebres Coſmographi apud Luſitanos habebantur. nam cum coſmographiæ ſeſe omnes partes adamuſſim tenere arbitrarentur, vererū erroribus inſiſtentes negabant in occidēte aurū, vniones, gemmas, aut aromata pro[illegible], uec [illegible] vacuo terris occidēte, inter continuivaſtique æquoris fluctus quidquam

Columbi deſiderium inquirendi notas terras.

quidquam eorum quaColumbus promitteret inueniendum. Columbus hac ſpe deiectus in Hiſpaniam contendit, communicatoque negotio cum Martino Alonſo Pinzonio nauarcho egregio,& Ioanne Perezio, fratre inſtituti ſancti Franciſci,Coſmographo perquameru dito, in ſuſcepto ſollicitationis conſilio mirificè confirmatus eſt.Perezius hortabatur, Henricum Guſmanum Medinæ Sidoniæ,& Ludouicum de Cerda Medinæ Cœli duces adiret, quando vterque in ſuæ ditionis portu nauigia inſtructa deductaque habebat.Sed oblatam à Columbo conditionem,tanquam vana & inania afferret, reſpuere.Tandem hortatu Perezij Catholicos Reges adire conſtituit ,quos Perezius huiuſmodi nouis propoſitionibus delectari prædicabat,addidit & commendatitias ad Ferdinandum Teleueram Reginæ Iſabellæ à confeſsionibus. Anno itaque à Chriſto nato octogeſimo ſexto ſupra milleſimum quadringenteſimum , Columbus porrecta Catholicis regibus ſupplicatione, petijt ne tam præclaro ſuo voto deeſſent . fore enim(ſi claſſe & neceſſarijs rebus inſtrueretur) vt breui voti compos , in occidente trans noti orbis terminos,ingentia ampliſſimarum terrarum ſpatia diuitiasque detegat.ſed reges minùs quàm voto ſuo conueniret , aut rei magnitudo depoſceret,attentos nactus eſt,quod Granatenſi bello diſtinerentur :nihil tamen remittens de ſolita diligentia,inuicti animi conſtantia propoſitum nauigationis conſilium vrgebat, præcipuosque aulæ proceres,quos apud regem authoritate & gratia pollere intelligebat, indies compellabat:ſed vt erat alienigena , & humili
veſte

veste indutus, vniusque tantum fratris obseruãtiæ commendatione innixus, toto penè septennio exacto vorandis repulsis, aulicis risui esse cœpit, quasi inania meditaretur, & pensi nullius foret, cœpitque petitio eius (vt ipsemet testatur in suis commentarijs) in fabellam verti, & cõuiuijs subseruire; quæ res illum supra modum sollicitum habuit. Iamque solus Alphonsus Quintaüiglius præfectus magistris rationũ, languentem Columbum sustinebat, & disputantem interdum de profectione ad incognitas occidentis insulas, diuitijsque, quas animo conceperat, per iocum lubens audiebat. Perfecit tamen Quintauiglius negotio toties reiecto, & in octauum annum extracto, vt Columbo pateret accessus ad Petrum Gonsalem Mendozam Archiepiscopum Toletanum, tum regij concilij Præsidem, cui cum cogitationes suas & antedicti naucleri casum aperuisset, efficacissimis in medium adductis rationibus ostendit, in occidente terras esse & nonnullam de ijs apud veteres, licet obscuram famam extare. Archiepiscopus Columbi rationibus expensis, eundem deduxit ad regiam audientiam, vbi re iterum ventilata & excussa, benignius a Catholicis regibus quam antea proposita accipiebatur, spem facientes absoluto Bætico bello sese rem totam maturo consilio penitius discussuros. Inde rursus Columbo spes crescere & antiquæ cogitationes redire, iamque à Palatinis à quibus vt homo vanus irrisus fuerat, suspici cœpit. Bætico bello finito, relata denuo re ad concilium, placuit ad instantiam reginæ Isabellæ, fortunam tentare, & Columbi ingenium experiri: Columbo itaque Catholici reges gratiose con-

cesserunt decimam omnium bonorum, reddituum & prouentuum terrarum in occidente, sine præiudicio aut damno regis Lusitaniæ (qui iá antea ad austrum secundum Africæ littora nauigationem instituerat) per ipsum inueniendarum aut detegendarum. Liburnicam desuper vnam & duas Celoces CXX. epibatis & propugnatoribus ad Hispalim probe instructas præbuerunt, in quā rem (exhausto catholicorum regum ærario, decennali illo Bætico bello) Ludouicus Sancti Angeli eorundem regum Secretarius, prærogauit mille sexcentos ducatos castillanos. Hic mihi pro se quisque animum acriter intendat, quam laboriosa & difficilis fuerit colūbo huius expeditionis promouēdæ sollicitatio; illud etiā animaduertat, quam exigua sorte & periculi pretio ingentibus quotannis pecuniarum accessibus regum Hispaniæ ærarium immortalis Deus, ob præteritos catholicorum regum decennali illo bello susceptos pro fide Christiana labores, Indiarum adiectione remunerare, eiectisque idolis, illorum opera Indianos ad suum cultum vocare destinauerit. Sed Columbus exultans cœpta hactenus bene cecidisse, trium nauium classe prima Septembris, aut vt alii volunt, tertia Augusti anno post natum Christum millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo, à Gadibus in altum prouectus, diu optatum iter ingressus est. vnam nauium Martinus Alphonsus Pinzonius, alteram regebat Franciscus Martinus, ipse Columbus cum fratre suo Bartholomæo præfectus & nauarchus in prætoria naue substitit. Sic versus Canarias, quas antiqui

Primū Columbi iter ad occidentales oras.

Fortu-

Fortunatas dixerunt cursum dirigens, in Gomara harum vna aquatum descendit, vbi diebus aliquot substitit, vt nauales socios longiori itinere assuefaceret, & aliqua quiete refocillaret: hinc flexis ad dexteram velis sulcato per octo dies continuos versus occidentem Oceano, tanta herbarum viridiũ copia aquæ innatare cœpit, vt per viridantia prata ferri & in herbido campo versari viderentur: quæ res vt insolita, nautarum militumque animos ita consternauit, vt dubitarent an vlterius progrediendum foret. Sed Columbus suos exhortatus, spem illis fecit nullo negotio viride hoc æquor posse superari. Promissa mox sequebatur effectus, sed nihilominus sulcando maria per plures dies, nullum vspiam terræ vestigium apparebat. Itaque Columbus conspiratione epibatarum nautarumque, desperatione longioris & irritæ nauigationis, penè oppressus est. Inconditis naualibus clamoribus postulabant, dum commeatus superesset, vela conuerti, & Hispaniam repeti. insanum esse vasti Oceani (qui in infinitum pateret) penetralia reserare, ac naturæ claustra perrumpere velle, vniusque peregrini hominis temeritati omnium salutem obiicere, & si sero pœnitentibus redeundum sit, non suffectura alimenta per ignota maria ventorum libidine errantibus. Sed Columbus sacramenti militaris admonitos, de alimentis & commeatu securos esse iussit, quando ad multos menses affatim adhuc suppeteret: tum vt erat disertus, multis efficacissimisque rationibus ostendit quam ignominiosũ illis foret si incertæ mortis metu, vacui

Hispaniam versus conuertissent, vbi procul dubio temerariæ pusillanimitatis pœnas darent, quin bono potius animo secũ essent, & quod bene verteret, cœptã nauigationem alacres ad optatum finem perducerent, vt voti compotes, maximis præmijs aucti, triumphantes in patriam aliquando cum honore reuertantur. ad se quod attinet, decretum sibi esse in hac expeditione mori, & nõnisi cum gloria domũ remeare. si tamẽ perstent, & tanta redeundi sit insania, petere sese vt cœptæ nauigationis cursum ad aliquot dies prosequantur: quod si nullæ interim vspiam appareant terræ, sese in illorum gratiam quantumuis inuitum, conuersis velis in Hispaniam rediturum. ita pacatis naualium sociorum animis, nauigatio instituta rursus continuatur. sequenti die conspectis nonnullis auiculis, Columbus hoc pro rato propinquantis terræ signo tenuit. Postridie cum omnes intenti terrã oculis conquirerent, vndantem in aere fumum conspexere, mox terram conclamant. Quis tamen prior terram aduerterit, aut notauerit, incertum est, & ad nostrum institutum parum momenti habet. nam siue Columbus, siue Rodericus de Triana, siue nauta quispiam Lepiensis primus terram in conspectu habuerit, satis est Columbum totius expeditionis ducem & authorem fuisse. Visa terra, incredibili gaudio perfusi, more nautico, cæteris conspectæ terræ signum dedere, tum præ gaudio in lachrymas omnes profusi, flexis genibus diuinas laudes ingeminarunt: gratiarum actione peracta venerabundi Columbum circumsistunt, dextramque exosculantur, patronum, parentemque appellantes,

lantes, priorum veniam petebant. haud facile omnium lætitiam expresserim, tum enim sibi quisque primùm nasci, depositoque quem præ oculis habuerat, mortis metu, liberiore aura frui videbatur. Tam letę felicitatis dies incidit in Nouembris vndecimum, dicti Anni millesimi quadringentesimi nonagesimi secundi, post centum dies quàm ex Hispania soluerant. Terræ itaque paulisper succedentes, appulerunt ad insulam Cuanabi seu Guanabani vnam ex Leucaijs, quarum numerosa multitudo inter Cubam & Floridam occurrit. Hic in terram descendit Columbus, & erecto gloriosæ crucis signo harum nouarum terrarum possessionem ad vsum Catholicorum Hispaniæ regum sese capere testatus est. Inde Barucensem Cubæ insulæ portum tenuit, insulam Fernandinam nominauit, in gratiam Ferdinandi regis. Cumque mare ventis turbari, & stationem nauium infidam esse conspiceret, perpetuis prouectus Zephyris, ad insulam ingentem Hayti, quam Hispaniolam vocauit, delatus est. Portum quem primum subijt classis, in hodiernum vsque diem Regium vocant. Hic prætoria nauis scopulis illisa dehiscebat, sed accurrentibus cymbis alterius celocis in aduersum littus omnes incolumes euasere. Incolæ ad conspectum classis, virorumque splendentibus armis in terram descendentium, vno agmine protinus ad montes, deuiasque syluas perfugere; sed Hispani fugientium tergis insistentes, vnam mulierum corripuere; quam cibo potuque refectam, & veste donatam, Columbus ad suos remisit. Incolæ hac aduenarum humanitate, & liberalitate prouo-

Primus Columbi in terram ex scensus.

cati,certatim ad littus decurrere,& ſcaphis ſiue patrijs lintribus quas Canoas vocant,Hiſpanorum naues circumuecti,nauium magnitudinem, Hiſpanorum ornatum,& promiſſas barbas admirabantur.Hiſpani viciſsim incredibili gaudio micantes inaures,aureaſque armillas inſularium contemplabantur. Cumque incolæ Hiſpanis aurum,aureaque emblemata haud grauatè adferrent;pro quibus viciſſim cultellos, crepitacula,tintinabula,ſpecula,& alia exigui momenti,gaudentes recipiebant; facile, quod res erat,conijciebant,regionem auri vena diuitem eſſe. Columbus vigentibus hiſce commercijs, fiducia plenus,cum aliquot Hiſpanis in terram exilijt.Hiſpaniola tum temporis à quinque præfecturis tenebatur.Septentrionali parti præerat Guacanarillus Regulus:is venientem Columbum comiter excepit,inque fidem futuræ beneuolentiæ muneribus xeniiſque vtrinque certatum. Indiani mandatu Cacici, ſcaphis ſuis mobilia prætoriæ nauis, quam ſcopulis illiſam diximus, comiter ſeruauere, adeoque benignè gentem hanc aduenam fouerunt, vt præſentire viderentur, ſeſe aliquando in huius nationis ius atque poteſtatem conceſſuros. Ad veſpertinæ campanæ pulſum Hiſpanos, Chriſtiano ritu genua flectentes, ſeque cruce ſignantes, venerabundi imitabantur, & in genua prouoluti palmas iungebant, imitandi (vt reor) ſtudio potius, quam alia certa cauſa. Quantumuis non deſint qui cenſeant, Indianos crucem multis temporibus ante Columbi aduentum in honore habuiſſe. Gomara libro 3. cap. 32. refert

Guacanarillus.

Crucis veneratio apud Indos ante Co-

fert,apud Cumanos,Burgundionum, siue Sancti Andreæ crucem in peculiari honore fuisse, quodque cruce sese munirent aduersus incursionem lemurum,easque infantibus recens natis imponere consueuerint. Quę res admiratione digna quibusdam merito videtur,neque intelligi potest,quomodo eiusmodi ritus apud homines syluestres inualuerit, nisi crucis hanc adorationem didicerint à nautis,aut peregrinis, qui vi ventorum eo delati, longioris peregrinationis & erroris tædio, in illis partibus perierunt, aut sepulti sunt, sicuti nauarcho Andalusio,qui apud Columbum obijt, proculdubio accidisset, nisi rei maritimæ peritissimus, cursum,quem vi tempestatis abreptus tenuerat, obseruasset;cuiusmodi casu credibile est multos illic sepultos, quos vulgus pelago haustos existimauit.Aliā crucis adorandæ rationem veroque propiorem Accusamilenses adferunt, qui per has quondam terras,virum sole lucidiorem trāsisse, & in cruce passum sese Cabalicis maiorum parentumque suorū relationibus, ac cepisse testantur. Vt vt sit, nullam veri similitudinem habet quod crucis adorationem à Carthaginiēsibus mercatoribus, cum ante bis mille annos extra Heuculeas columnas progressi, ad has terras delati essent,quidam manasse sentit: nam præterquam quod Carthaginensium nauigatio non ad Occidentem, sed ad Austrum directa fuerit, nullus tum ante natum, passumque in cruce Christum Dominum, vspiam crucis erat honos aut cultus, minus apud Carthaginienses,qui sontes & atrocissimorum facinorum reos in crucem agebant:nam & Hannonem

lumbi ad uentum.

Carthaginienſium ducem,proditionis inſimulatum,in crucem actum,claſsicorum hiſtoriographorum relationibus conſtat. Cæterum Hiſpaniolæ habitatores, vincinarumque terrarum, Idololatræ erant,& gentilium more inanium deorum cultum cæci amenteſque ſequebantur. Iamque olim humani generis hoſtis miſellis aliquoties prædixerat,venturam ex orietali mundi plaga gentem, promiſſis barbis, rutilantibuſque armis conſpicuam, quæ finem Satanico ſuo imperio faciat,ablatumque indigenis imperium vſurpet. horrendi huius carminis memoriam Indiani flebilibus elegis poſteris mandarunt,quas ſtatis anniuerſarijsque feſtis lugubri queruláque voce occinebant. Sed Columbus omnis moræ impatiens primo ſtatim vere in Hiſpaniam redire, & Catholicis regibus ſuæ nauigationis ſucceſſũ referre properabat. Quapropter inito aut renouato fœdere cum præpotentibus inſulæ regulis, arcem in littore ædificauit, cui Natiuitatis nomen indidit; relictoque Roderico de Arana Co dubenſi ad arcis cuſtodiam, cum octo & triginta militum præſidio, ipſe aſſumptis ſecum decem Indis cum duabus celocibus & octoginta claſsicis militibus in Hiſpaniam velis contendit, feliciburſque Zephyris ſpatio quinquaginta dierum adnauigauit. Ferdinandus cum coniuge Iſabella Barcinonæ tum ſtatiua habebat,eo Columbus terreſtri itinere contendit. Quod vt difficile propter viarum tædium,& impedimentorũ multitudinem,honorificẽtiſſimum tamen illi fuit,effuſis non modo vrbibus ſed ageſtrium quoque turba ad famam ſui aduentus cõcurrẽte viaſque vndiq; obſidente. Stupebant ad nomen noui mundi, mirabanturque Indorum

Hiſpaniolæ incolæ Idololatræ.

Columbi reditus.

luteum

luteum colorem,psittacos,& auri pondus immensum, & quæ alia ferebant miranda,aut noua, Venientem Columbum rex & regina per quam honorifice susceperunt, & (quod aulicæ beneuolentiæ haud dubium est signũ)in præsentia sua sedere iussum magna attentioné audiuerunt, quæ de nouis populis eorumque terris comperta memorabat, prolatoque auro, psittacis alijsque nouis aut ignotis,summa voluptate perfusi sunt;solum aurum extra nouitatis admirationem erat, immensum tamen auri pondo & illarum terrarum diuitem venam pariter laudabant,& admirabantur.Quatuor ex decem Indianis quos secum adduxerat Columbus,insoliti cœli mutatione, & maris nausea debilitati,in via fatis concesserant;sex reliquos, Catholici reges cum Iohanne principe,festo ornatu &solemni pompa lustralibus aquis admouere,ad initiãdum in nouis hisce terris Christianæ religionis cultũ conceptisque votis,in omnibus regionibus quas ductu,auspicijsque suis in posterũ detegi contingeret(extirpato abominabili idolorum cultur Christiana sacra & veri Dei cultum sese introducturos professi sunt.Relatio Columbi,iussu regum Catholicorum accurate descripta, per celeres nũcios ad Alexandrum sextum Pontificem delata,Pontificem, totumque Cardinalium Senatum ingenti lætitia perfudit. mirabantur peregrinam & rarissimam eorum quæ afferebantur narrationem,mirabantur Hispanos ductu Liguris hominis eo potuisse penetrare,quo ne Romanorum quidem fama peruenire potuisset. Pontifex hortatus Catholicos reges, vt religionis Christianæ terminos quamlongissime proferrent, diuiso in duas æquales partes,ex arctico in antarcticũ circu-

Indianorum primus baptismus.

lum terrestri globo, quidquid terrarum centum passuum millibus vltra Azores siue Flandricas insulas occurreret, totidemque à Gorgadibus capitis viridis insulis in occidẽtem procurreret, Catholicis regibus eorumque successoribus gratiose concessit, dummodo à nullo Christianorum Principum quidquam ex his terris possessum fuisset in festo natiuitatis Dominicæ anni C C C C X C I I. tunc proxime elapsi. Catholici reges qui de pulsis tota Hispania Numidis, Christi cultum in Bætica renouarant, intellecta Pontificis voluntate nunc quoque pro eadem religionis fideique causa, classibus suis maria tentare, ignotasque regiones procul à nostro orbe remotas detegere, auita nominis sui gloria, trophæisque nuper partis dignum existimabãt, Columbum repetita nauigatione, ad occidentis insulas mittendum censuerunt; nihil itaque prætermittentes quod ad cultum decusque illius pertinere arbitrarentur, insignibus, honorumque titulis auctum, & designatum Oceani Præfectum, Admirantis titulo condecorarũt. Bartholomæo fratri Hispaniolæ insulæ præfectura honorifico Adelantadi siue præfecti titulo delata est. Magnus dehinc Columbus esse, & inter proceres suspici cœpit, multusque vbique de illo sermo, dicentibus nonnullis, Carthaginiensium decreto prohibitam nauigationem ab illo inuentam; alij augurabantur illum ad ingentem Platonis insulam (quam tamen in Critia perijsse, & submersam scribit) peruenisse; nonnullis Senecæ vaticinium quod poetico œstro in Medea effuderat, a Columbo ad impletum, haud inaniter testabantur & mirabantur.

CAPVT

CAPVT III.

In quo exponitur Secunda Columbi Nauigatio, qua Cubam & Iamaicam insulas detexit.

COLVMBO in Hispaniam vti diximus reuerso, & ad persequenda tam feliciter cœpta auxilium & opes poscensi, tandem decretæ sunt naues septemdecim, inter quas Liburnicæ tres, & Celoces siue Carauellæ quatuordecim erant, cum mille ducentis nautis & classiarijs: Regis quoque expensis conquisitæ sunt equæ, vaccæ, tauri, sues, asini, capræ, & alia vtriusque sexus animalia ad feturæ illis in locis propagationē. Ijsdem quoque nauibus imposita sunt omnia frumenti genera, hordeum, triticum, siligo, &c. item vites, cannæ saccari & alia leguminum & plantarum genera: tum multa alia & ad ædificandum & ad quorumcumque aduersantium sustinendum impetum necessaria. Ac præter milites nautasque additi & Euangelij præcones duodecim presbyteri, viri pij & litterati, quibus præerat T. Buelius Catalanius, è S. Benedicti familia, in Occidentali illa plaga summi Pontificis futurus Vicarius. Ad huius vero classis nouarumque terrarum famam, multi viri nobiles exciti accurrebant, multi insuper mechanicorum operum artifices Columbum hac in expeditione sequuti sunt, spe ingentis emolumenti, quod quisque (vt vasta omnia hominum plerorumq; sibi promittit animus) exigui temporis spacio sibi promittebat. Classe instructa, Colūbus vela secudis nflātibus ventis, FeritāCanariarū vnam præter

uectus

uectus, cursu AEquinoctialem propius directo, *Desseadam*, id est, Desideratam, Antillarum vnam, post vnius & viginti dierum nauigatione, in conspectu habuit: enauigatoque harum insularum archipelago, nusquam exscensione facta, breui Argenteum Hispaniolæ, inde Regium portum tenuit. Sed longe alio atque sperauarat, omnia statu inuenit. Nam Indi Hispanos omnes ad vnum trucidarant: nihilominus, excusante se Guacanarillo, & necis inuidiam à se in Hispanorum insolẽtiam amoliente, dolorem quẽ è suorum morte conceperat, prudenter dissimulauit: & in terram egressus, Isabellam (quæ ciuitas est, in gratiam & honorem Isabellæ Reginæ, quæ non obscure huic expeditioni fauerat, denominata) coloniam deduxit; detectisque auri fodinis Cibauijs, Antonium Torrium cum duodecim celocibus multo auro alijsque exoticis rebus onustis in Hispaniam remisit. Munimentum deinde D. Thomæ exstruxit, ad defensionem metallicarum fodinarum, & Bartholomæum fratrem Insulæ Proregem reliquit. Ipse cum tribus Celocibus quærendis detegendisque nouis terris intentus, mari rursus sese commisit, & Hispaniolæ extrema sulcando, Orientale CVBAE latus attigit: quumque Occidenti hinc Orientem coniungi putaret, insulę initium A. & O. vocauit. Ad Australe huius insulæ latus IAMAICAM, vicinasque insulas detexit. De huic Hispaniolã repetens, in vltimo Occidentis angulo commodum nactus portũ, eum D. Nicolai nomine insigniuit, ibique aliquamdiu subsistere decreuit, vt refectis è lõga iactatione socijs nauibusque, expeditionem aduersus Caribes si-

ue

ue Canibales(qui Anthropophagi,id eſt, hominũ voratores ſunt)moueret;ſed graui febre correptus,profectionem hanc intermiſit,& Iſabellam ſe deferri curauit. Vt primum à morbo conualuit, multos Hiſpanorum aut infirmos aut mortuos,reliquos vero, contemto fratris ſui Bartholomæi imperio,tam fœde inſulanos expilaſſe ac tractaſſe comperit,vt reguli arma circumſpectarint,ac magna habitatorum pars agros incultos deſeruerint,& nuſpiam ſemente facta,in intimam inſulæ partem ſe receperint, rati Hiſpanos quos armis ſuperare non poterãt, fame ſeſe ſubacturos aut inſula expulſuros.His cognitis, Columbus magna ſeueritate de noxijs ſupplicium ſumſit, Regulosque ad officium reductos admonuit,ne agrorum aut Maizi culturam omitterent, quandoquidem ſterilitas hæc ſiue fames non minus ipſis quam Hiſpanis grauis futura ſit.Hac quamuis iuſta & forte etiam ad continendos in officio Barbaros neceſſaria animaduerſione magnam ſibi Hiſpanorũ militũ Columbus inuidiam conflauit,qui eum vt crudelem & inhumanum varijs rumoribus in Hiſpaniam vſque differebant.Columbus vt maleuolorum delationibus occurreret, imprimis vero ſupradicti Fratris Buelij,qui Columbo ob ſumtum (de innoxijs ſcilicet)ſupplicium ſacris interdicere non dubitarãt:ſecundum in Hiſpaniam redire decreuit: iamque in anchoris ſtabat trium Carauellarum claſſis; ſed tam fœda per eos dies nimborum ac turbinum oborta eſt tempeſtas,vt exagitato aere, cœlum terræ miſceri videretur.quin etiam medio die craſſæ, ac quauis nocte obſcuriores tenebræ inuectæ, oculorum

culorum vſum ademerant; & inter horrendos fragores, crebri ignes cœlo emicantes, ingentem omnibus timorem incuſſerunt. Incumbentium ventorum vi ædificia tota paſſim inſulâ deiecta, ingentiaque ſaxa à naturalibus montium crepidinibus auulſa, ingenti ſtrepitu inſulanorum pariter & Hiſpanorum animos percellebant. Hac ædificiorum villarumque ſtrage multi mortales ſuffocati & oppreſſi fuerunt. Incolæ tanta tamque inuſitata cœli tempeſtate conturbati, derelictis mapalibus, in montium & terræ cauernas ſeſe abdiderant: multi tenebris præoccupati aut inuoluti, in agris errantes, aut domibus concluſi, cum tota domo vi turbinum in ſublime rapti, aquis abſorpti, aut terræ illiſi & in fruſta comminuti perierunt. Quibus malis victi aut inuoluti, mœſtos planctus & horrendos clamores per tenebras ediderunt, adeo vt mundum perire, aut totam inſulam imis ſedibus moueri plerique arbitrarentur. Hæc quidem tempeſtas vniuerſam inſulam grauiſſimis damnis afflixit; claſſis quoque quæ tuta ſtatione in anchoris ſtabat, vi tempeſtatis abruptis aut confractis retinaculis, litoribus impulſa, cum vniuerſo nautico apparatu perijt, corruptoque commeatu, à fame etiam Hiſpanis periculum imminebat, niſi peropportunè nauis quædam ex Hiſpania commeatum abunde ſubuexiſſet. Sedata tempeſtate, incolæ quique in montes propinquos aut cauernas confugerant, ſenſim prodire, ſed rei & periculi nouitate attoniti, exanimatis ſimiles ſeſe inuicem intueri, præcluſiſque præ timore faucibus, vix animam trahere: fœdaque tem-

peſtatis

pestatis casum vnanimiter omnes, sed diuersis ex causis, probabant aut detestabantur. Indi extraneos idolorum suorum auxilio tota insula breui expellendos, taciti gaudentesque meditabantur. Hispani verius reputabant, præstigias has Sathanę esse, terras hasce deserentis, imperiumque illis in partibus abdicantis, propter Christiana sacra, Baptismi vsum, sanctęque fidei in ijsdem prædicationem. Sed Columbus vt primum tranquillitas data est, refecta & instructa denuo classe, emensus Oceanum, Calicium Hispaniæ portum, felici nauigatione tenuit, indecitis equis ad Regem (qui Medinæ tum erat) præfectus, detectas à se terras, earumque opes, expositis aliquot egregijs speciminibus, recensuit, prolatisque iudicialium Actorum cedicillis, conquisitas obiectasque sibi inuidorum calumnias egregiè diluit. Ferdinandus Rex intellecta rei veritate, & Admirantis innocentia, Actorumque iudicialium fide & integritate, collaudans Columbum, Macte, inquit, virtutæ esto, & conceptā omnium animis tam præclaræ expeditionis tuę spem, quod bene vertat, ad finem perducito: admonens tamen subinde, cum Hispanicæ nationis militibus in transmarinis & longinquis expeditionibus, remissa aliquantum iudiciorum seueritate, lenius agendum esse.

CAPVT

CAPVT IV.

In quo Tertia Columbi Expeditio recensetur.

COlumbus præter maleuorum opinionem à Rege exceptus, assumtis Carauellis & Celocibus duodecim, quas Catholicorum Regum Ferdinandi & Isabellæ sumtib. ornauerat deduxeratque, Anno à nato Christo post millesimum quadringentesimum nonagesimo septimo, Tertiam expeditionem non minori alacritate suscepit, duabusque Celocibus præmissis, rectà Hispaniolam versus contendere iussit; ipse vero versus Caput viride cursum direxit. Inde ad Occidentem nauigans, sub ipso pæne AEquatore calores aliaque grauissima pericula passus est, propter malaciam, summamque maris tranquillitatem. Tandem Indiæ Continentem attigit, litusque persequens ad multum terrę spacium, tandem conuersis velis rectà Hispaniolam petijt. Tertia hac Nauigatione CVBAGVAM Vnionum piscatione diuitem detexit. Continentis pars quam hac profectione adijt, est PARIA. Immensi cuiusdam fluminis ostium hic subiens Columbus *os Draconis* nominauit, quod sinuosis vorticibus naues absorbere videretur. Subijt & Cumanæ regionis ripas, vbi comiter exceptus de vniuersa Vnionum piscatione certior est redditus. Sed in Hispaniolam appulsus, omnia turbata offendit. nam & Celoces duæ, quas præmiserat, vbi Xaraguam occidentalem insulæ portum tenuere, à Roldano Ximenio, qui ibi tum castra habebat, & pridem ab auctoritate gubernatoris recesserat, & non obscure rebellabat, in

partes

partes tractæ, Bartholomæo Columbo opem ferre recusarant. Roldanum quoque comperit incolas misere deprædatum esse, omniaque cæde & incendiis compleuisse: quibus malis iritati Insulani, communi gentis consilio Hispanos insula depellere decreuerant. Sed Christophorus inconditam gentem facile subegit, & tributariam fecit; Roldanum vero saniora consilia aspernantem & imperium pertinaciter detrectantem, in montes auiasque solitudines compulit. Roldanus interim perscriptis ad Regem litteris, Christophori, Bartholomæi, & Didaci fratrum Columborum actiones omnes & consilia criminabatur, quod scilicet homines Ligures Hispanico nomini infesti crudeliter & auare summa potestate abuterentur, Hispanos milites nullam aut leuem ob caussam morte mulctantes; quodque aurifodinarum curam, ablegatis Hispanis, Liguribus suis cōmitterent, & celando maiorem auri partem, fidelissimos & benemeritos milites iure suo & præmiis, ipsosque insuper Reges quintâ suâ fraudarent: quodque Cubaguæ detectionem non ex fide perscripserint, vt circumuento per pactum Rege, margaritarum piscationem sibi haberent, accumulatoque ingenti auri pondere, tandem vniuersæ insulæ imperium sibi vindicarent. Quin id vnum eos agere, vt quos iudicum sententiis conficere non possent, periculosis desperatisque expeditionibus implicarent, vt Caribum telis confecti, & nefandis crudelissimorum anthropophagorum dētibus indignissima fortibus viris morte, in ventris ingluuiem demittantur. Hæc Roldani epistola

quamuis falsa & calumniis plena, magnum dolorem Catholicis Regibus attulit: quumque eodem tempore Columbi de Roldani contumacia & aperta rebellione allatæ essent querelæ, properandum, & perturbatis Insulæ rebus tempestiue prospiciendum rati, Christophoro Bouadillæ Calatrauani ordinis Equiti, Hispaniolæ præfecturam demandant, addito mandato vt noxios puniret. Columbus qui pacandis insulæ Regulis hactenus intentus fuerat, nescius eorum quæ ab aduersariis de se delata erant, venienti Gubernatori honoris officijque caussa obuiam processit: sed Bouadilla Columbum cum fratre vinciri, nauibusque impositos in Hispaniam deuehi iussit. Catholici Reges quum intellexissent Columbos fratres indignis modis vinctos adduci; per celeres nuncios statim vti soluerentur imperarunt. Columbus de noui Gubernatoris inhumanitate, deque vi & ignominia sibi fratribusq; illata grauiter conquestus, rationẽ à se in Hispaniola gestorũ reddidit, suâque innocentiã Regibus probauit, vt Colũbos fratres à Roldano & socijs iniquissime calumnijs petitos ac pæne oppressos, à Bouadilla quoq; iniuriose habitos, nemo dubitaret. Vt tamẽ in posterũ insulæ pax constaret, Reges, ab rogato Bouadillæ imperio, Nicolaum Ouandum qui summæ rerum illis in locis præesset, miserunt, Columbo per speciem honoris in aula retento. Interea Alphonsus Nonnius & Pinzonij fratres à Regibus adeundi inquirendique terras incognitas potestatem obtinuerunt; edicto tamen proposito, ne quis intra quinquaginta passuum millia ijs locis

quæ Columbi Nauigatione comperta essent, appropinquaret. Nunnius in altum prouectus, neglecto mandato Regio, vbi Indiæ continentem attigit, Pariæ, Cumanæ & Amaracapanæ sinus subuectus, ingentē margaritarum & vnionum vim retulit; sed in reditu cōtentione super vnionū partitione exorta, quū vitato Hispalensi portu, in Gallæcia exscensionem fecisset, nauales socij in terram egressi, ad Ferdinandum Vegam illius oræ Præfectum detulerunt, Nunnium spreto mandato Regio, litora à Columbo iam ante detecta adijsse, regiaque vectigalia, quinta defraudata, & magnā vnionum ac margaritarum vim interuertisse. His cognitis, Præfectus Nunnium in vincula coniecit, in quibus quum magnam opum à se corrasarum partem consumsisset, vinctus tandem ad Ferdinandum Regem missus est. Bouadilla accepto tam potenti successore, ijsdem nauibus quibus Ouandus venerat, in Hispaniam redire constituit, vna cum Roldano ceterisque militibus, quos Catholici Reges euocarant, aut qui Ouando, vt paci cōsuleretur ac cōtentiones ē medio tollerentur, remittendi videbantur. sed exorta ingenti tempestate, Bouadilla cum Roldano & viginti quatuor nauibus aurique magna vi, aquis hausti periere; perijt & ingens ille auri globus, quem Petrus Martyr ter mille trecentas & decem libras appendisse testatur.

CAPVT V.

De Quarta Columbi Nauigatione, eiusque successu: tum de morte eiusdem, indole, filiis, &c.

NVNCIATO Bouadillæ & Roldani naufragio, Catholici Reges Columbum denuo ad nouas inquirendas regiones mittendum censuere. Is igitur tribus Carauellis instructis, Anno post virgineum partum millesimo quingentesimo secundo, Occidentem versus vela dedit: sed venientem Columbum Ouandus Hispaniolæ Gubernator, terra portuq; prohibuit. Columbus indignatus illius se insulæ aditu arceri quam primus ipse inuenisset, & in quam coloniam deduxisset, conuersis velis portum Absconsum petijt. Inde desiderio inueniendi fretum quod ab Occidente ad Orientem duceret, rectà Occidentem versus cursum dirigens, tandem Guanaxam adijt, & ad portum Higueræ, quem Caput Fonduræ vocant, delatus est. Inde reflexis ad Orientem velis huius tractus retrograda nauigatione litus sequutus, Veraguam prouinciam multo auro affluere cognouit. inde delatus in sinum Vrabiensem, in maris Australis notitiam venit. Hoc in itinere Columbus duas ex quatuor Carauellis amisit; reliquæ rimis fathiscentes, nauigationi propemodum inutiles erant. quapropter Hispaniolæ repetendæ consiliũ ceperat; sed hiscentibus affatim nauibus, in insula Iamaica reficiendæ classis caussa substitit. Dum hic hæreret, militũ corpora

ra diuturnæ nauigationis & maris nauſea varijs morbis vexata ſunt; reliqui quibus integræ adhuc vires, inter ſe diſcordes, Columbo parum audientes, duce Franciſco Porreſio, tumultuoſe per ſeditionem ſecedere, & in Hiſpaniam redire tentarunt. Columbo propter ægrorum multitudinem nauigare haud erat integrum: quumque à validioribus militibus derelictus eſſet, inſulani per contemtum, comeatus quoque recuſabant. Columbus in tanta rerum perturbatione, ex caſu ſiue è re nata conſilium cepit: vocatisque ad ſe inſulanorum primoribus, comeatus vt ſibi ac militibus præſtarent, enixe petijt; ac ni faciant, totam breui gentem ab irato Numine peſtifera lue funditus exterminatũ iri denunciauit. in cuius rei euidens ſignum, Lunæ faciem (quam eo tempore ecclipſim ſubituram non ignorabat) ſanguinolento ac triſti aſpectu intra biduum apparituram prædixit. Inſulani Lunę deliquium conſpicati, quum eſſent rerum Naturalium ignari, vehementer conſternati ſunt, metuentes ne magnum aliquod malum ipſis immineret; multisque lachrymis præteritorum veniam poſcentes, abunde comeatus & neceſſaria certatim ſubminiſtrarunt, & ſic milites morbis & inedia debilitati intra paucos dies recreati, priſtinæ ſanitati reſtituti ſunt. Interim Franciſcus Porreſius vaſti Oceani fluctus metuens, & nauis quam per ſeceſſionem à Columbo abduxerat, viribus non ſatis fidens, aliam inſuper Celocem eidem eripere in animo habebat: & huius rei perficiendæ occaſioni vnice intentus, vicinis in portubus hęrebat. Sed Columbus Porreſij conſilium ſub-

odoratus, & per omnia vicina litora & portus profectus, Porresium tandem, atroci commisso prœlio, superauit, & vna cum fratre cepit: atque dehinc reliqui in ordinem redacti quieuere. Portui in quo pugnatum erat, Columbus Sanctæ Glorię nomen indidit; isque portus dicitur in Hispali siue Siuilia Iamaicæ. Primum illud ciuilis in Occidentali India belli initium fuit, quod ad insaniam postmodo exercitum, fœdissimæ lanienæ memoriam ad omnes gentes transmisit. Columbus in insula Iamaica aliquot menses substitit, donec Mendoza, quem ad Hispaniolæ Gubernatorem miserat, duas Celoces adduceret, quibus in Hispaniolam traiecit, prouisoque comeatu, paucorum dierum nauigatione in Hispaniam redijt, Regibusque Nauigationis suæ successum, varios casus, terrarumque hac vltima expeditione detectarum situm exposuit, magna cum audientium voluptate. Tandem multis corporis atque animi laboribus confectus, in febrem incidit; quæ post non multos dies eum ex hac vita exemit, Anno millesimo quingentesimo sexto. Corpus Hispalim delatum, in templo Carthusianorum humatum est. Erat Columbus mediocris staturæ, membris decore compositis, rubicundo colore, ingenio subtili & perspicaci, sed ad iram procliui, laborum patientissimus: Inuentor certe latissime patentium, & ante hæc tempora prorsus incognitarum terrarum, quæ longe lateque in vasto latebant Oceano, quarumque notitia siue detectio amplissimum Hispanicæ genti peperit imperium

& decus

& decus. Inuidorum tamen calumnias effugere non potuit, quo minus fiscalibus actionibus & litibus implicaretur, quæ toto illum vitæ tempore exercuere. Didacus Columbi maior natu filius, patris in maris præfectura successor, prius decessit, quam litibus illis omnibus finis esset impositus. Quatuor expeditionibus diuersas ac spaciosissimas, prioribus sęculis incognitas terras adijt & detexit. Mortalium etiam primus ad Americę, vt hodie dicitur, isthmum peruenit, nullum tamen nomen imposuit: quod ea gloria Americo Vesputio, vt credibile est, à fatis esset destinata. Insignem etiam Columbi modestiam illud arguit, quod in tanta terrarum à se detectarum multitudine, nullam vrbem, portum aut locum de suo nomine appellarit. Sed virtus, sui ipsa pulcerrima merces, id in quo Columbus indulgere sibi noluit, cumulatissime illi reddidit, quando vno ore grata posteritas non isthmi aut portus alicuius, sed totius Occidui cardinis notitiam Columbo multis se nominibus debere, lubens testatur. Duos filios reliquit superstites, Didacum & Ferdinandum. Didacus viginti annos patri superfuit, vxorem duxit Mariam Ferdinandi Toletani filiam, ex qua Ludouicum Columbum tertium Indici maris Pręfectum suscepit. Ferdinādus inter domesticos pueros Principis Hispaniæ educatus, patrem tertia expeditione sequutus, cælebs mansit; interim totus litterarum studiis deditus, varijsque disciplinis excultus, coaceruato ingentis bibliothecæ thesauro (in qua supra duodecim librorum millia fuerūt) & post mortē Iacobitarū collegio, quod

ad D. Pauli Hispali est, legato, gloriam patris, sed alia ratione; æmulatus est.

CAPVT VI.

De iis qui Columbo in detegendo nouo orbe suffecti sunt: inprimis de Hoieda.

COlumbo fatis functo, Ferdinandum, Regem ingens incessit cura, vt regiones nouissima hac Columbi expeditione defectus teneret, ac præsidiis firmaret. nam & Columbus paullo ante mortẽ codicillos ea de re ad Regem perscripserat, quibus prudenter monebat, vt primo tempore Veraguam & Vrabam coloniis firmaret. Alphonsum itaque Hoiedam & Didacum Niquesam Anno à nato Christo quingentesimo nono supra millesimum, duces eo delegit: & Niquesam quidem Veraguæ, Hoiedam Vrabæ cum imperio preesse iussit, addito mandato, vt ante omnia Barbarorum animos sanctissimis religionis nostræ præceptis erudirent atque emollirent. Hoieda conscriptis quadringentis militibus, Martino Anciso Baccalaureo, qui ius illis in prouinciis diceret, cum reliquis classiariis, equis, tormentis & comeatibus subsequi iusso, Carthagenam tandem allapsus est, exscensuque in terram facto pacem abnuẽtibus incolis, nudos palantesque adortus, multos interemit, & auri aliquantum ex præda collegit. Dehinc mediterranea penetrans, ducentibus commonstrantibusque captiuis, Barbarorum vicum strenue sese

nue sese defendentibus incolis, non sine insigna suorum iactura oppugnauit, amisso Ioanne Cossa & septuaginta militibus, quos Indi ferali ritu in viscera sua condiderunt. Sed commodum superueniente Niquesa, animum resumens, coniunctis viribus pagum denuo oppugnatum cepit & incendit. Inde soluens Hoieda nouę Carthaginis oram præteruectus, Vrabiensem sinum ingressus est, & ad Caribanæ litus in Orientali dicti siuus parte exposito milite & commeatu, nouæ coloniæ (quæ prima Hispanorum fuit in Indiæ continente) fundamenta molitus, crebris excursionibus Indos infestauit, Tiripium deinde Barbarorum municipium, opulentiæ opinione celebre, irrito conatu aggressus, quum comeatuum inopia premeretur, indicio cognouit non procul inde vicum abesse omnibus rebus ad victum necessariis abundantem. Quare eo repente copiolas suas rapiens, locum ex inopinato inuasit & oppressit; atque ita annona laxiore, atque magno captiuorum numero potitus est, inter quos etiam fuit reguli eius loci vxor: cuius redemtionem quum maritus promisso auro impetrasset, die præstituto lytrum adferre simulans, Hoiedam contumeliose compellat, & sagitta veneno infecta eius femur, amicorum vicique nuper ab Hoieda exusti iniurias vlturus, sauciat. Regulus cum vxore & octo sociis in conspectu Hoiedæ, circumfusis vndique militibus, obtruncati, barbaræ magnanimitatis pœnas dedere. Sed quum multis militibus per vulnera absumptis, reliquorum corpora valetudo tentasset, cœlique intemperie vulgatis morbis multi indies

interirent, fremitu totis caſtris orto, Gubernatorem probris inceſſebant; ſed aduentu Bernardini Talaberæ qui militum ſupplementum & comeatus aduehebat, recreati, paullulum quieuere; mox tamen vehementer exarſit ſeditio. Hoieda per contubernia circumiens, & ſingulos conſolatus, hortabatur, bono fortique eſſent animo: Baccalaureum Anciſum, vt quidem Talabera certo nunciet, breui cum comeatu magniſque ſubſidiis adfuturum. Sed ſurdis hæc canebantur. Iamque indicio Hoieda cognouerat, nonnullos, occupatis nauibus, fugam moliri. Optimum itaque ratus eos præuenire, relicto pro prætore Franciſco Pizarro acerrimo iuuene (qui Peruuiam ampliſſimam opulentiſſimamque totius Orbis prouinciam, vt poſtea dicemus, detexit) itineri ſeſe accinxit, promittens breui ſe cum comeatu & recentium militum ſupplemento reuerſurum: ac niſi intra quinquageſimum diem rediiſſet, omnes iuramento liberare, & quocumque illis viſum eſſet abeundi poteſtatem ſe facere teſtatus eſt. Sed Talabera nauem conſcendit, & Anciſum quærens, multis preſſus ærumnis, vix tandem Hiſpaniolam tenuit, vbi ex vulnere nuper accepto, ſiue quod nulla ſubſidia militibus ſuis mittenda ad manum eſſe perſpiceret, animi mœrore poſt paucos dies deceſſit.

CAPVT

CAPVT VII.

Pizarrus reliquias Hoiedæ abducit, sed ab Anciso reducitur.

ELAPSIS qninquaginta diebus, quum ne sexagesimo quidem quisquam comparuisset, nec quicquam ab Hoieda nunciaretur; Pizarrus quum acri famè premeretur, è trecentis militibus septuaginta tantum reliquis, exsecratus diras terras, conscensis duobus nauigiis, Hispaniolæ repetendæ consilium sumsit. Vix dum in altum prouectus vela ventis dederat, quum sæuæ iactatus tempestatis procellis, nauium alteram cum omnibus militibus & armamentis fluctibus haustam amisit, alterius clauo à miræ magnitudinis pisce in frusta comminuto & excusso. Sic Pizarrus seminaufragus in insulam Fortem è Regione Carthagenæ & Vrabici sinus, eiectus potius quam appulsus, ab insulanis, quamuis pacis amicitiæque signa præ se ferret, quum aquatum descendisset, armis ferisque vlulatibus prohibitus, litus aliud magis propitium quærere coactus est, continuatoq; inter omnia cœlo terràque infesta, infaustæ nauigationis cursu, inter Carthaginem & Cachibacoam Baccalaureum Ancisum cum comeatu & militum supplemento, quæ Hoiedæ adferebat, obuium habuit. Ei Pizarrus mirabiliter recreatus, sæuæ fortunæ casus & Hoiedæ discessum exponit, militesque omniũ egenos, morbis, fame ac siti pæne enectos, permissu

Præ-

Præfecti, iriusiurandi religione solutos, Hispaniolam repetere dicit. Ancisus aliud atque erat suspicatus, more militiæ, tamquam proditores desertoresque legati sui corripuit: mox tamen certiora edoctus, Hoiedæ militumque casus miseratus, tamen pro iure imperij milites pone se subsequi iussit. Pizarrus communi militum nomine supplex obtestabatur, vt saltim vltimas miserrimi exercitus reliquias saluas esse vellet ac conseruaret; petendæque Hispaniolæ, & ibi se reficiendi potestatem faceret. Constanter id recusante Anciso, milites oblato magno auri pondere, idipsum communibus votis petere, & vt sui misereretur, obtestari cœperunt. Tum Ancisus humaniter illos consolatus, fore scilicet, vt nouo comeatu recreati, pristinas vires breui sint recuperaturi, ad antiquam militiam reduxit turbidos atque inuitos. Prima in terram exscensio, aquandi gratia, facta est in Comagræ litus, vbi à Barbaris sine maleficio dimissi sunt, quum neque Hoiedæ neque Niquesæ naues agnoscerent, à quibus non ita pridem casas suas succensas & deuastatas, iracundi fremebant.

CAPVT

CAPVT VIII.

In quo Ancisi conatus exponuntur.

ILlata in naues aqua & pace cum Cuamarensibus firmata, Ancisus, Vrabiensem prouinciam denuo petere instituit: sed naucleri inscitia in ipso portu vnde digressus erat Hoieda, naufragium fecit, in quo nauis prætoria scopulis illisa, simul cum armis, equis aliisque animalibus propagationis caussa aduectis, mersa periit; ipse vero & milites nulla re præter vitam seruata, ægre in litus euasere. Ancisus absumto qui reliquus fuerat comeatu, quum iam milites præ inopia radicibus pomisque syluestribus, ad subleuandam diræ famis necessitatem, vescerentur, assumtis centum militibus mediterranea penetrare statuit. Vix quatuor milliaria emensus, ingens Barbarorum sagittis armatorum globus Hispanos nihil tale metuentes audacter incursat, & in naues repellit. Ancisus in tanta alimentorum penuria, pæne inops consilij quum ex captiuis didicisset, non procul inde in aduerso litore campestrem frugibus vitæque alimentis abundantem esse regionem, eo proram conuertit, desertoque Orientali Dariensis litore, Occidentale latus occupauit: iamque propugnacula & casas moliebatur, quum hostiliter ingruens Barbarorum manus, aduenas patria terra expellere summa vi nititur. Ancisus arma expediri iussit: acieque instructa, milites antequam ad teli iactum venire-

venirent, in genua prouoluti, infensi Numinis iram deprecati sunt. Ipse Ancisus nuncupato voto diuæ Virgini, cui celebre nomen ab Antiquitate est Hispali, si victoriã & comeatum obtineret, se ædem sacram è Gomaci Cacici domo exstructurum, eiusdemque Virginis Antiquæ nomine consecraturum nouit. Commisso atroci prœlio, Hispani victores discesserunt, & subactis eius gentis pagis, comeatus abunde suppetiit. Quumque biduo post aduerso flumine nauigassent; Barbarorum supellectilem aurique magnam vim inuenerunt, quæ à Comaco regulo ante conflictum eò comportata atque abdita fuerant, ne in peregrinorum manus venirent; mirum in modum gaudentibus militibus, tantum sese comeatum tantamque auri copiam consequutos. Ancisus tam præclara & luculenta victoria potitus, socios quos in aduersa ripa reliquerat, accersit, molitusque nouæ coloniæ fundamenta, ædem Diuæ Virgini consecrauit, & locum Antiquæ Darienis nomine celebrem fecit. Sed Niquesa digrediens ab Hoiedâ, assumpta Carauella vna & duabus biremibus, cæteris se subsequi iussis, versus occidentem solem similiter cursum dirigit, quærens Veraguam littoribus occidentalibus Vrabæ contiguam. Sed intempestæ noctis tenebris abreptus socios amisit. Lupus de Olando vnius biremis rector, ex incolis cognouit sese Veraguæ portu à tergo reliquisse, repetitaque ad Orientem nauigatione, Petrum Vmbriam qui nocte à cursu aberrauerat, obuiũ habuit. Cum Niquesæ Carauella nusquam cõpareret, cõuersis velis

lis Veraguã petiere, si forte Niquesam illic inuenirẽt. Sed nusquã inuento aut comparẽte Niquesa, summa imperij Olando delata est: is maizium seminare & casas fabricare instituit, infaustoque & funesto consilio (vt omnem socijs fugę spem praescinderet) naues temere ad littus ferri & inter se collidi passus est: sed temerarij consilij errore deprehenso, è fractarũ tabulis, Carauellam vnam, ad necessarios & subitos vsus fabricari iussit. Hoc rerum statu, vnus ex naualibus socijs è specula mare despectãs, cum ex occidentis latere nauiculam velis instructam conspexisset, lintea vela sese videre acclamauit: cumque portum subiisset scapha, deprehensum, eam cymbam Niquesæ esse. de Niquesa interrogati, illum amissa Carauella in Zorobarensibus insulis omnium rerum egenum oberrare, & tertium iam mensem radicibus & syluestribus pomis victitantem, decreuisse pedibus Veraguam petere nunciant. Olandus extemplo biremem ad deuehendum Niquesam misit, quam paucis quos ex militibus suis reliquos habebat comitatus, conscendit, & feliciter ad exercitũ reuersus est. Sed ingratus Niquesa Olandum in vincula coniecit, & proditionis reum peregit, quin & infaustis illis terris sese excedere velle testatus, milites extemplo itineri sese parare iussit; qui messem instantẽ & frugum maturitatẽ causati, exigui tẽporis morã orabãt. Sed Niquesa propositi tenax vela orientẽ versus intendens, portũ, cui ab egregia tutaq; statione Belli nomen à Columbo inditum fuerat, tenuit. Sed Indi appulsũ Niquesam cũ magna militũ iactura retro ad naues cõpulerũt. Ad Marmoris itaq; promõtoriũ progressus, subitario opere ilicò

pro

propugnaculum Nominis Dei exſtruxit & cõmmuniuit. manſit loco nomen, vel quod XVIII. Calend. Februarias (in quem diem Dominici Nominis celebritas incidit) Niqueſa eo appulerit, vel quod terræ ſuccedens feliciоremque ſibi rerum ſtatum promittens, bono omine, ſuos adhortatus, In nomine Dei, inquit, exiliens in terram. Tale habuit initium celebratiſsima illa Septentrionalis Indiæ ciuitas, quæ bonis auibus ſuccedentibus temporibus in immenſum excreuit; & quicquid diuitiarum auſtralis maris vndis aduehitur recipit, noſtræque Europæ tranſmittit. Cæterum ex ſeptingentis octogenis. Niqueſæ militibus vix centum reliqui erant: Nam cum Veragua excedens Caput Marmoris quæreret, Nominiſque Dei propugnaculum communiret, pluſquam ducentos, maris nauſea, & aſſiduis hoſtilibuſque barbarorum incurſionibus amiſerat. Sed Darienſes feralibus odiis diſcordes in partes ſeceſſerant; alijs ad Prætorem Anciſum, alijs ad Vaſcum Nunnium imperium deferentibus, re ad extremum pene certaminis deducta, ſuperuenit Rodericus Colmenares cũ recenti commeatu & nouorum militum ſupplemento, is in itinere continentis oram legens, cũ Gairam velis tenuiſſet, nauales ſocios militeſque aquatum miſit, ſed parum memores quam ignotis in locis verſarentur, temerè in terram egreſſi, ab Indis circumuenti, & ad vnum omnes interfecti ſunt. Colmenares malè tutam aquationem expertus, execratus iniquum littus, ſublatis dolonibus Vrabam verſus curſum tenuit, Hoiedam & Anciſum requirens, ſed repertis tantum Hoiedanæ Coloniæ (à Pizarro nuper deſertæ)

Colmenares Hoiedæ ſupplementum adducit.

desertæ) quibusdam vestigijs, primum animo vehementur conturbari,& omnes à barbaris dilaniatos fuisse timere cœpit. Sub vesperam ad naues regrediens,cum vnam ex alia cogitationem duceret, suspicari cœpit, coloniam translatam, & vicinis in vallibus commodioris vsus gratia deductam fuisse. pluribus itaque in collium summitatibus excitatis ignibus; simul vniuersum duarum nauium æneorum tormẽtorum apparatum displodi iussit, vt ab Hoiedanis si forte in vicinis vspiam locis consedissent, exaudiri posset. Antiquani audito Colmenaris signo visisque ignibus, Hoiedam Præfectum suum aduenisse rati, summis & ipsi in montium iugis ingentibus exstructis pyris, magnoque vicissim tormentorum fragore, Colmenari haud se inde procul abesse significarunt Colmenares sequutus volitantem in aere fumum, Antiquam deuenit. Viso Colmenare mutuis inter duces gratulationibus certatum, & inter milites salutatio facta est. Nusquam militares manipulos lætioribus animis conuenisse relatum scio: nam Colmenares rebus Dariensium desperatis, cum assiduis Indianorum excursionibus clausi tenerentur, & exiguus esset commeatus, neque cibum ab infensis infestisque vt peterent, progredi tutum esset, lacerique & seminudi arborum frondibus, radicibus & pomis syluestribus vitam difficulter sustentarent, serũ pæne auxilium venerat. Vestimentis & commeatu recreati, pacem tamen oderant, neque discordiarum vllus erat finis. Colmenari alijsque quibus pax placebat, consultius visum fuit Niquesam euocare, qui discordes regeret,

 & im-

& sublatis contentionibus, imperij curam suscipere, donec Catholicorum regum voluntas exquiritur, quem potissimum summæ rei præesse velint. huic sententiæ ab Anciso & Valboa (qui omia quam Niquesam malebant) acriter resistebatur, vicit tamen pacis studium, & Niquesam requirentium votum. Colmenares delectu militari iussus proficisci, ad requirēdum Niquesam, conscenso Ancisi myoparone Niquesam apud Nominis Dei portum inuenit, squalidum & omnis rei egenum. Niquesa Colmenarem complexus, in lachrimas effusus, casus acerbos, & miseram suam sortem exponit: Colmenares apertis suæ legationis causis, bono fortique animo esse iubet, veterumque malorum obliuisci, quando nouo arridentis fortunæ beneficio, prioris conditionis haud dubia spes affulgeret. Niquesa itaque in nouam spem erectus, cùm septuaginta quinque Hispanis militibus quos ex amplius octingentis, reliquos habebat, Vrabam velis cōtendit, sed ferox & immodicus lingua, in itinere multa intemperanter de Valboa & Anciso Baccalaureo iactitans, cum quosdam gradu atque dignitatibus sese moturum, alijs pecunias & facultates ablaturum profiteretur, eaque compluriu auribus excepta Dariensibusque propere relata essent, exitium Niquesæ maturarunt. Nam Ancisus atque Valboa antea discordes naui egressum Niquesam multis probris onerarunt, nauemque cum suis militibus repetere cōpulerunt. Ille mœrens recessit, neque vsquam amplius comparuit, creditur fluctibus haustus, aut à barbaris cæsus & commestus. Hunc habuit exitum infelix Niquesa.

Niquesæ repulsa & fatum.

CAPVT

CAPVT XI.

In quo Valboæ expeditiones & gesta, inprimis maris Australis detectio, recensentur.

FVgato Niquesa, haud tamen Dariensibus inter se pax constabat, sed priore fœdior seditio exarsit. Valboa audax manu, præoccupat, & Ancisum in vincla cōijcit, bonaque eius fisco regio adscribi iubet, paulo post quorundam intercessione dimissum, abitumque parantem, retinere conabatur, oblata prætoris dicundi iuris priore dignitate. Sed Ancisus repudiato beneficio, indignabundus in Hispaniam concessit, & Valboam maiestatis accusauit, visisque informationibus, atrox in Valboam lata est sententia. Valboa cum sublatis æmulis solus rerum in Antiqua Darienis potiretur, deficiente commeatu, Coibam expugnauit; & Caretā regulum quod imperatos commeatus recusaret, cum vxoribus & familiaribus captiuum abduxit. Dehinc pace cōciliata, Poncam Caretæ hostem persequutus, & in mediterranea progressus, vrbem expugnauit, sed nihil prædæ fuit: nam Ponca fugiens omnia sua abstulerat. Valboa Antiquam Darienem reuersus, periculosum iudicans mediterranea vlterius penetrare, tutiusque fore si secundum maris littora expeditiones susciperentur, aduersus Comogrum Comogræ prouinciæ regulum duxit, sed intercedente vno ex domesticis Caretæ, pace amicitiaque inter eos contracta, Hispani pacato agmine prouinciam intrarunt: Nam Panquiacus Co-

mogri filius maior, homo ingenio minime barbaro, patri persuaserat, cum hoc peregrino hominum genere blandiendo moderatius agendum esse, enitendumque inprimis ne gens auara, & crudelis, vllam causam dissidij inueniat, qua potius regni subuersionem & expilationem cõmittat aut prætexat. Vasquio itaque Valboæ & Colmenari quatuor auri laborati drachmarum millia, cũ septuaginta Indicis seruitijs Comogrus dono misit. Sed oborta forte inter milites rixa, cum Valboa in vestibulo regiæ, detracta quinta vectigali, appensum aurum diuideret, Panquiacus subiratus, fertur excussa lance, aurũ per areã dispersisse, Indignum clamitans viros ratione præditos & tam lõginquis profectos ab oris, pro nihili re, quæque ad humanæ vitæ sustentationem in nihilo vsui esset, inter se digladiari, inimicitiasque suscipere aduersus possessores talium rerum: si tamen tam vasta tamque insana foret auri cupido, vt illius causa expeditiones peregrinationesque difficillimas suscipere, bellumque possessoribus tam vilis metalli mouere operæ precium ducant, omitterẽt rixas; sese aliam illis regionem commonstraturũ vbi abunde huius metalli sitim expleant. Quærente Valboa nomen regionis, per interpretem respondit, sex dierum itinere abesse, sed mediterranea à Caribibus alijsque feris gentibus habitari, maioribus itaque copiis opus esse, antequam ad mare possit deueniri. Valboa audiens maris mentionem, ratus quod erat, Panquiacum complexus gratias illi egit pro sua in se suosque beneuolentia, perductumque ad Christiana sacra Carolum nuncupauit, eoque duce suscepta postea

Maris australis notitia.

expe

expeditione maris Australis, deuictis aut pacatis multis regulis, post multas ærumnas ad mare australe penetrauit, & Catholicorum regum nomine sese illud possidere constituit, anno reparatæ salutis decimo tertio post millesimum quingentesimum, quarto Calendas Septembris. Inde felici successu magna auri & margaritarum copia auctus, XIX, Ianuarij insequentis anni, Antiquam Darienis rediit. aduentantem socij solemni pompa & festis velationibus susceperunt: missis deinde ad Catholicum regem codicillis, australis maris à se susceptam expeditionem perscribit, simul specimen auri, margaritarumque ingentem vim transmittit, vnà cum pelle tigridis à Dariensibus captæ. Authores habeo qui ad viginti castellanorum millia collecti auri, & CC. ingentes margaritarum vniones pro regia vectigali quinta cessisse scribant. Rex acceptis Valboæ literis & vectigali auro, cæterisque muneribus, latam aduersus Valboam sententiam antiquauit, repertique Australis pelagi illi Adelantadum siue præfecturam detulit, cum mille Hispanorum supplemento. Sed Petrum Ariam Dariensibus imposuit, misso eodem præsule, ad muniendam illis in partibus viam Euangelio. Venientem gubernatorem, Valboa cum Dariensibus honorifice suscepit, hospitioque susceptum Petrum Ariam benigne fouit. Vocato consilio cum de statu rerum agitaretur, Nunnius Valboa dilucide de tota expeditione australis maris locutus, nihil eorum que conueniebat omittens aut supprimens, totius prouinciæ statum declarauit, & Petrus Arias publice

collaudatum Valboam, regia gratia beneuolentiaque dignum dictitabat. Sed puncto temporis omnis illa gratia euanuit, quantumuis domestico fœdere male conglutinata. Nam Valboam occupatum expeditione australis pelagi, ad se vocatum in vincula coniecit, & proditionis insimulatum socer securi percussit. Hic finis magni illius Valboæ Nunnij, cuius ductu australis pelagi detectæ opes. Indignam tanti viri mortem rex totusque Indicus senatus perquam ægre tulere, cuius rei inuidia cum conflagraret Petrus Arias, eidem mox abrogatum est imperium, nulla memorabili re in continente gesta, nisi quod Panamam & Nominis Dei ciuitates, colonis repleuit, & quinquagies mille passuū iter inter vtrumque mare, syluis, lamis, rupibusq; inuium, vrsis tigribusque infestum aperuit atque complanauit. Sed Valboæ expeditio australisque pelagi detectio, secunda vbique fama celebratur & celebrabitur semper, propter inexhaustas opum facultates quas Hispanico nomini contulit.

Nunnii Valboa mors.

CAPVT

CAPVT X.

Ioannis Grialui expeditionem exponens.

CElebratur & Ioannis Grialui nauigatio, cuius auſpicijs in Mexican regni, & nouę Hiſpaniæ cognitionem deuentum eſt. Nam cum Franciſcus Ferdinandi Cordubenſis parum felici euentu Iucatanas terras tentaſſet, & præter diuitiarum famam nihil inde retuliſſet, Didacus Velaſcus præfectus Cubæ inſulæ Ioannem Grialuum nepotem ſuum quatuor Carauellis inſtructum, miſit, vt certiora de Iucatana regione cognoſceret. Grialuus die decima Maij, anni milleſimi qningenteſimi decimi octaui, è portu Cubenſi ſoluens, Acuſamillam ſiue ſanctæ crucis inſulam petijt, inde ad ſeptentrionem nauigans cum in reflexu littorum continentem eſſe deprehenderet, continuata nauigatione Ciampatonem delatus eſt, vbi haud ſecus atque Ferdinandus Cordubenſis, malè ab infeſtis incolis exceptus, multis ex ſuis vulneratis, & occiſo Iohanne Guetario, ipſi Grialuo, ſaxo os denteſque comminuti. Crudele itaque linquens terras, Tauaſcum, quem Grialuum nunc vocant fluuium inuectus, annuentibus incolis pro rebus exigui momenti res incredibilis pretij permutatione Indianorum abſtulit. Hinc ad Sancti Iohannis vſque fluuiũ deuentum, cuius oræ recentem poſſeſſionem nomine auunculi ſui cepit. Hic quoque mutuis permutationib. merces benigne cõmutatæ ſunt, tantumque diuitiarũ hac nauigatione conſequutus eſt Grialuus, vt veri fidem excedat.

Tauaſcus ſiue Grialui fluuius

Quod si coloniam hisce in partibus deduxisset, eadem illum quæ Cortesium fortuna sequuta esset. Grialuus hinc Aluaradum cum permutatis mercibus Cubam præmisit, ipse borealia littora sequutus, enauigato Guastacano sinu, nusquam exscensione facta, satis se superque terrarum lustrasse ratus, conuerso cursu Cubam repetijt. Velascus interea de nepote suo sollicitus, cum diutius quam par esset abfuisset, Christophorum Olidum misit, vt de illo inquireret, aut illi subsidio esset: sed Christophorus nusquam inuento Grialuo, Hauanam redijt.

Aluararadus.

CAPVT XI.

De Ferdinandi Cortesij expeditione & Mexicani regni defectione.

INterea appulit Aluaradus cum relatione terrarum quas Grialuus viderat adieratque, & permutatis mercibus. Velascus audita Aluaradi relatione, nepotis sui fortunam laudabat: sed metuens ne inuestigandis alijs terris intẽtus, tempus tereret, cum Ferdinando Cortesio transegit, vt classe communibus expensis parata, nouas hasce oras detegeret & subijceret. Post reditum Grialui Velascus mutato consilio, propriis auspicijs classem deducere in animo habebat. Sed Cortesius propositi tenax, obtenta à rectoribus Hieronymianis potestate nauigãdi, sub annum M.CCCCC.XVIII.

vnde-

vndecim nauium claſſe, quingentis quinquaginta militibus inſtructa, ex vltimo Cubæ portu qui in occidentem rectà protenditur, & Sancti Antonij nomine celebratur, curſum ad Cathocum Iucatanæ peninſulæ promontorium intendit: ſed aduerſis iactatus procellis in Acuſamillam inſulam eiectus eſt. Maris accolæ viſa claſſe, relictis mapalibus, in ſolitudines perfugêre. Reguli vxorem inter abruptas ſaxeaſque rupes cum prolibus latitantem, Corteſius ad ſe deductam comiter excepit, doniſque cultam, ad ſuos remiſit. Regulus ſubditique, hac aduenarum humanitate prouocati, depoſito metu, domos ſuas rediere: cumq; conciliatis hoc modo inſulanorum animis, frequentes ad littus indies ventitarent, nauiumque magnitudinem, & Hiſpanorum barbas mirarētur, Corteſius indicio Indianorum cognouit, in Iucatanæ continente tres quoque barbatos (ſic Chriſtianos deſignabant) degere: erant ij ex reliquijs infelicis Baldiuij: qui à Niqueſa in Hiſpaniolam miſſus, vt vectigale aurum deferret, & turbatum diſcordijs Darienis ſtatum, ſimulque rerum omnium quã premerentur penuriam, Didaco Columbo Indici tum maris præfecto exprõmeret, cum haud procul Iamaica, in Viperinos ſcopulos impegiſſet, demerſo myoparone, in piſcatoria ſcapha cũ viginti ſocijs ſeruatus, poſt infinitas ærumnas amiſſis in itinere aliquot ſocijs, Iucatanis tandem oris applicuit, vbi egreſſus in littus cum omnibus ſuis captus eſt. Ipſe Baldiuius cum quatuor militibus, à recenti ira ad Idolorum delubra raptus, ferali more cæſus & comeſtus

Baldiuii & ſociorũ infortunium.

 eſt.

est. Hieronymus Aquilaris Astigetanus cæterique socij, cum ad proximum sacrificiorum tempus clausi asseruarentur, ruptis vinculis effugêre, & apud propinquum Regulum comiter habiti delituere, donec iussu Cortesij accerserentur. Sed reliquis omnibus defunctis solus Aquilaris supererat, & cũ illo Gonzales Guarrerius Nauarchus, qui auribus naribusque perforatis, cum corpus faciemque puncturis fœdasset, & Cacici Chetemalẽsis sororem vxorem haberet, siue pudore retentus, siue coniugis liberorumque amore præpeditus, nunquam induci potuit vt ad suos rediret: solus Aquilaris venit, magnoque postea vsui fuit. Cæterum Acusamillenses idololatræ, idola lignea atque aurea, varijs ferarum & draconum effigiata formis, tanquam deos colebant, atque his placandis inhumano more captiuorum cruore sacrificabant. Cortesius per Aquilarem blandissimis sermonibus, promissis, atque item muneribus illos permulcens, hortatusque vt abdicato idolorum cultu, Christiana sacra susciperent, annuentibus incolis Idolorum statuas confregit, & erecto salutiferæ crucis signo, Christo Seruatori solemnes aras dicauit: Deinde vt prima mari tranquillitas data est, secundis ventis ex Acusamilla insula soluit, deflexoq; Catochi promontorio, emensus Iucatanę terræ septentrionales oras, Campecium, inde Grialui fluuium nauibus tenuit. Duobus inde passuum millibus aberat Pontonchana vrbs amplissima, viginti quinque familiarum millibus habitata. Incolæ primo commeatum benigne præbuere, deinde contempta aduenarum paucitate; Cortesio

Cortesius annuentibus Acusamillensibus idola confregit.

tesio

tesio per interpretem denunciarunt, vt quamprimum terris suis excederet. Cortesius cum tentatis nequicquam per colloquia incolarum animis, nihil pacati responderetur, oppugnatam vrbem cepit, multis barbarorum cæsis. maior oppidanorum pars, inter cædem & incendia in syluas perfugit. Ne vero desertam haberet vrbem, dimissis aliquot captiuis, Regulo profugo cum subditis redeundi potestatem fecit: lege imperata, vt ab humanis carnibus abstinerent, & euersis Idolorum aris, veri Dei cultum amplecterentur, Hispaniæque regum maiestatem agnoscerent. A victoria ibi parta, Victoriç vrbi nomen impositum, quia omnium ciuitatum prima armis tentata & occupata fuit, Inde Cortesius prætervectus Aluaradi fluuium. vsque ad Calcioecam, nunc Sancti Iohannis portum progressus, à Tendillo Motezumiæ Mexicanorum regis præfecto, benigne susceptus est; sed inter idiomate prorsus diuersos, linguæ commercium aberat, nihilque inter illos conferri potuit. nam Aquilaris, huius gentis linguam nullo modo intelligebat; quapropter Cortesius discedere, & à littoris huius vlteriore inuestigatione abstinere decreuerat. Sed à Tendillo digrediens, mulierem vnam ex Indicis mancipijs, quæ à Pontonchano rege habuerat, cum Tendilli domesticis diserte & non minus familiariter vernacula lingua loquentem deprehendit. vocatam ad se mulierem ingentibus promissis vltra libertatis æstimationē impleuit, & interpretis loco cū Aquilari retinuit. Marinæ huic postmodū Christiana sacra suscipienti nomen inditū, plurimumq; momenti ad

Pontōchana ciuitas oppugnata capitur.

Marina.

Mexica

Mexicanam hanc expeditionem attulit. Xalisana regione, quæ nunc noua Gallicia, oriunda erat: nata parentibus Vilutanis, locupletibus dominoque loci affinitate coniunctis; in prima ætate per belli tempus rapta, à Iucatanis mercatoribus diuendita, in Pontonchani reguli potestatem venerat. Cortesius itaque commode nactus interpretem, cum Tendillo de nouo colloqui cœpit, prolixaque sermonis communicatione, cum multa de Mexicani regni amplitudine, & Motezumæ Regis potentia magnificentiaque accepisset, cupido illum adeundi videndique huius regni cœpit: itaque & munera Motezumæ misit, & renunciari iussit, ipsum ex regis sui mandato adeundum esse, vt Maiestatis suæ intentionem legationisque suæ causas explicet. Tendillus per hemerodromos siue Indicos cursores, Motezumæ, aduenarum nauiumque & equorum formam, in panno laneo affabre depictam, vnà cum Cortesij donis transmisit. Motezuma auditis ijs quæ adferebātur, visisque Cortesij muneribus, ingenti cura angi cœpit; nam anno fere priusquam hæc cōtingerent, iecerat in Mexicano sinu anchoram ingens myoparo. Cotostani maritimi huius tractus accolæ, viso procul nauigio linteisque velis, insolita hac re territi, cum eminus difficulter discernerēt quid hoc rei esset, quibusve ab oris nauis illa venisset; studio rei certius cognoscendæ, comeatum quæque alia in pretio habebant, ad peregrinam hāc nauem mercium permutandarum causa, patrijs phaselis siue canois detulere. Hispani illi quicunque fuerint (licet suspicari Ferdinandum Cordubensem,

Colloquiū Tendilli et Cortesii.

aut

aut Grialuum fuisse) benignè exceptis Indis, prolixè ex ijsdem, & Regis & terrę illius nomen potentiamque didicerunt, recedentibusque Indianis torquem varijs vitreorum globulorum coloribus distinctum, regi suo deferendum tradiderunt, eidem renunciantes, nunc illis non esse integrum in terram exscendere, in reditu suo tamen sese regem adituros. Cotostani recepto hoc mandato, & collari vitreo, quod adulterinarum gemmarum inscij, tanquam ex nobilibus lapillis coaceruatum, magni faciebant, ad Motezumam venere, deferentes in tela lanea depictam militum nauiumque formam, vna cum vitreo collari. Motezuma perturbatus, visis auditisque ijs quæ limitanei nunciabant, eisdem imperauit rem vt silentio tegerent. Relata deinde re ad concilium, cum pannum & collare protulisset Motezuma, placuit per totã Septentrionis maritimam oram, in speculis frequentes custodias disponi, deque omnibus quę occurrerent Mexicanum regem quamprimum certiorem fieri. Nunc igitur nunciato Cortesij aduentu, vehementer commoueri cœpit, quia in Mexicanis terris constans fama erat tempore Motezumæ venturos exteros, qui Mexicanum imperium subuerterent: ne tamen in vulgus hæc sinistre excepta publici status causam turbarent, aut nouandi occasionem darent, Heroum aliquem, hoc est Quatzaltoalum, aeris Deum, antiquum suum dominũ hac classe aduentasse, per euulgatores nouorumque rumorum authores in vulgus sparsit. Haud obscura quippe apud hosce Mexicanos opinio inualuerat, olim ante aliquot secula præcipuum quendam

quendam principem illinc recessisse, qui sese aliquando ex orientis partibus rediturum prædixisset, & quo famæ aduersa, periculaque quæ metuebat facilius contegeret, eadem simulatione legatos ad Cortesium misit, qui aduentum illi gratularentur, suaque omnia illi deferrent, quando sciret Quatzaltoalum dominum suum nũc aduenisse. cui omnia prospera precabatur. Stoliditas aut dissimulatio hæc Motezumæ, & Mexicanorum, contrario pæne dolo, pacificam Mexicanorum regnorum possessionem Hispanis præbuerat. nam Cortesius per Marinam certior factus de Mexicanorum persuasione, modestè intentionem Motezumæ per simulationem fouebat. nam hactenus Mexicani oratores illum Quatzaltoalum esse, aut inuenisse sese putabant: sed militum nauiumque Præfecti qui Mexicanorum regnorum potentiam & amplitudinem ex magnifica Motezumæ legatione intellexerant, magnum rerum suarum, susceptæque expeditionis momentum, in eo verti æstimantes, si apud barbaras hasce gentes strenuorum virorum, fortiumque bellatorum nomen opinionemque adipiscerentur, quia tutiorem hoc modo, minusque despectam, quantumuis numeroso in populo paucitatem suam fore arbitrarentur, vniuersum colubrinarum & æneorum falconum apparatum è nauibus in terram exponi mandarunt. Tormentorum iste apparatus inclitus, & nunquam ab Indis antea visus, ingentem Mexicanis terrorem iniecit. Milites insuper vibrantes arma, minaci vultu Mexicanos ad pugnam, viriumque suarum periculum faciendum prouocabant, de-
trectan

trectantibusque illis seu metu seu pudore pegnæ aleam, prolatis loricis, machæris, amazoniis, securibus, frameis, pertisanis, alijsque militarium armorum terriculamentis, quibus obuiis hostibus, truncatis corporibus, aut desecta ceruice, vnico ictu capita brachiaque sese amputasse iactitabant, magnum barbaris terrorem incussere. armorum itaque hac ostentatione & apparatu, vrbisque insuper Pontonchanæ recenti clade attoniti, mutata opinione non dominum suum aut heroum aliquem, sed deorum suorum inimicum hac classe aduectum persentiscebant, domumque reuersi alia omnia quam sperauerat Motezuma, retulere. Exinde Motezuma omnibus modis adniti cœpit vt peregrinam gentem regni limitibus arceret, vocatisque idolorum administris, petijt vt deos Mexicani regni præsides assiduis votis sacrificijsbue fatigarent, donec aduenas late regni finibus arcerent. Alijs deinde atque alijs legationibus Cortesium à Mexicano itinere retrahere conatus est. Zempoalenses armis Mexicanorum vectigales effecti, cum Cortesij aduentum eaque quæ fortiter aduersus Pontonchanos gesserat intellexissent, ad Cortesium venere, rerum suarum statum & Motezumæ potentiam, Mexicanorumque tributorum difficultatem aperuere, petentes auxilium aduersus exactionum acerbitatem, & Mexicanorum vim atque superbiam. Cortesius vbi animaduertit in hoc quoque climate libidine dominandi gentes transuersas agi & lethalibus armis decertare, inito cũ Zempoalensibus fœdere, ijsque bono animo esse iussis, Mexicani illos tributi solutione

Motezuma Cortesium Mexicanis regnis arcere nititur

ne liberauit, & Tizapanziucanum Motezumæ præsidium, quod Zempoalensium agrum propter tributi vectigalisque recusationem infestabat, armis oppido decedere compulit. Vrbis deinde aduersus fortunæ incertos casus condendæ consilio, veræ Crucis coloniam deduxit, vbi cum depositis Didaci Velasquij Cubẽsis præfecti auspicijs, à nouæ vrbis magistratu, nomine Caroli Imperatoris, veræ Crucis totiusque continentis præfectus declaratus esset, assumtis nouis titulis, relictoque ibi Petro hircio Prætore, naues ad littus ferri & inter se collidi passus est, magnanimo prorsus consilio, vt omnem socijs militibusque spem fugæ præscinderet. Inde totus in Motezumam conuersus, nequicquam dissuadẽte deprecanteque Tendillo, Mexicanam expeditionem suscepit. Ex itinere Zempoalenses adijt, à quibus humaniter susceptus, & 1000. seruitijs Indicis donatus est: hos Tamanes patria lingua vocant, qui cuncta armorum onera, commeatum & minora tormenta trahebant, aut succollantes humeris portabant. Cortesius hinc discedens Idolorum cultum aboleuit, ciuitatisque mutato nomine Siuigliam nouam siue Hispalim nominauit, cœptumque iter prosequens, duodecimis castris Zaclotanam vrbem attigit: cum vlterius tenderet in medio circumiectæ vallis, murum ingentem deprehendit, qui duorum montium crepidines claudebat: altitudo erat nouem pedum, latitudo vicenos pedes æquabat, dispositis ordine propugnaculis, quæ quadraginta passuum spacio distinguebantur, angusto tantum in medio transitu, denum passuum latitudine, itine-

Tamanes.

Zempoalẽsium idola abolentur

itinerantibus relicto: Ktacmixtilitani aduersus subitas Tlascalensium perpetuorum suorum hostium incursiones, hunc murum erexerant protraxerantque. Tlascalenses Cortesij aduentu exterriti ob famam Pontonchanæ cædis, hic armati occurrêre, cum nonaginta armatorum millibus, vt Cortesium finibus suis arcerent; sed Hispani vico occupato eo euentu pugnarunt vt temere incurrentes, sclopis, tormentorum bombis, equorumque stupenda specie, & multa passim cæde facile sustinerent, multis quoque mortalibus captis: quos omnes Cortesius dimisit, & per Marinam Tlascalensibus suis referre iussit, plurimum se mirari cur frequentes aduersus se armati conuenerint, cum in nullo vnquam illos læsisset, expeditioque non aduersus Tlascalenses, sed Mexicanum Motezumam suscepta esset. Hisce rebus intellectis, ingens statim animorum commutatio in Tlascalensium exercitu facta est. nam Tlascalenses, infesti perpetuique Mexicanorum hostes, vbi aduersus Motezumam à Cortesio exercitum duci cognouere, ab armis ilico recesserũt. Ipse Xicoteucatlus supremus gentis magistratus ad Cortesium venit excusans quod per errorem in armis suos habuisset, petenti que pax data est; ex eo tempore in hodiernum vsque diem Tlascalenses maiestatem Hispaniæ Regum agnoscunt, tributorum expertes. Cortesius continuato itinere Tlascalam venit, vbi magna omnium lætitia exceptus est, obuiam effusa ciuitate cum coniugibus & liberis. Mexicanis mirum in modum displicebat pax cum Tlascalensibus hostibus suis inita. Itaque Motezuma,

Pax cum Tlascalensibus inita.

ma,quantumuis peregriuam gentem odiſſet, per legatos tamen Corteſio ſuaſit,ne vllo modo ſalutem ſuam Tlaſcalenſibus committeret, qui aliud loqui,aliud pectore clauſum tenere conſueuiſſent;pauperem & egenum populum facile ad ſcelus & perfidiam impelli poſſe,eſſe non procul iſthinc Ciollolam vicinam & amicam vrbem,hominum frequentia celebrem & omni comeatus genere abundantem , poſſe Corteſium tuto eo commigrare, vnde ex propinpuo melius de communibus rebus acturi ſint:itaque ad inſtantiam Motezumæ Ciolollam profectus eſt, comitantibus pene centum Tlaſcalenſium millibus,ſed in itinere dimiſſa copiarum meliori parte,ſex tantum millia retinuit. Motezuma interpoſitis multis difficultatibus, cœptum denuo iter per legatos omnibus modis diſſuadere cœpit : offerebat inter cætera Cæſari ſeſe vectigalem facere , annuumque cenſum perſoluere, ſi Corteſius Mexicanũ iter omiſiſſet. Sed cum nullis quantumlibet amplis precibus, ſpecioſiſue oblatis conditionibus , à ſententia abduci poſſet , Mexicanis re deliberata optimum eſſe & expedire viſum eſt,in vrbe Ciollolenſi gentem hanc exteram opprimere : communicatoque ſuper ea re cum ciollolenſium primoribus conſilio,facilè inter illos conuenit. Mexicani ad hoc facinus patrandam euocarant triginta expeditorum Indianorum millia, ſed Ciollolenſes parum tutum æſtimabant eiuſcemodi militarem manum intra mœnia admittere.Itaque Mexicanorum exercitum duobus inde paſſuum millibus conſidere iuſſerunt ; ſeſe

porro

porro inuisum hoc genus hominum, ligatum subactumque in Mexicanorum manus tradituros receperunt: indignantibus Mexicanis, qui eadem opera & concidere Cortesij exercitum & occupare opportunam vrbem in animo habebant; Ciollolenses tamen initæ pactionis memores, vxores liberosque in deuios auiosque montes deportabant. Inter hæc Ciollolensis quædam nobilis matrona instantis periculi conscia Marinam monebat, vt & illa secum paulisper secederet, ne simul cum alijs suis dominis occideretur. Itaque indicio Marinæ proditione euulgata detectaque, cortesium iuuantibus Tlascalensibus Zempoalensibusque, impetu in ciues facto, paucis horis Ciollolēsiū sena penè millia sunt cæsa, & vrbs direpta est. Tlascalēses auxiliares, quorum in terris neque gossipium neque sal prouenit, vestem bombycinam omnē, salisque ingentes cumulos asportarunt: Hispanis aurum factum infectumque cessit. Qui superfuerant ex magna clade, metuque profugerant, deprecantibus postero die Tlascalensibus, in gratiam recepti sunt: Motezumæ vero implacabilius irascebatur. Itaque conuersus ad Mexicanos legatos illis edixit, non passurum sese in iuriam hāc inultam, sed fidei violatorem Motezumam, Mexicanosque qui sub regno eius essēt, sibi in animo esse ob iniurias armaque per summū scelus illata iusto pioque bello persequi. Mexicani oratores factum constanter excusabant, & culpam in Acacuicanos & Azacanos Ciollolensium federatos reijciebant, blandiendoque tantum effecerunt vt

Ciollola diripitur.

Mexicanorum purgatio.

Cortesio persuaderent. non esse quod quidquã de suo rege sinistri suspicetur, qui inde ab initio syncera illum fide dilexit & coluit, venientique omnia benignitatis munia in vrbe Mexicana exhibiturus esset. Cortesius hisce persuasionibus delinitus Ciollola mouit, retentis tãtum VI. Tlascalensium millibus, reliquos Indianos dimisit. Motezuma quantumuis aliud atque erat præ seferret, reuera tamen Cortesij aduentum perhorrescebat: audiens itaque illum in itinere esse, & Tlascalensium hostium suorum auxiliarem manum adducere, missis oratoribus impensius rogare institit, vt Mexicanam profectionem omitteret. Sed Cortesius qui iam tantum Motezumam spectabat, nihil intermisso itinere, Themstitanam vrbem ingressus est. Motezuma igitur totus in simulationem officij beneuolentiæque compositus, ad primum fere ab vrbe lapidem magno nobilium procerumque comitatu venienti Cortesio obuiam processit. Gestabatur Motezuma humeris quatuor primorum regni procerum, sub vmbella, auro, plumis intertextis scite exornata: tanta vndique hominum multitudo vias fenestrasque & vrbis compita compleuerat, vt haud facile discerneres, plus Indi animo admirationis conceperint conspectis Hispanis barbatis, & equorum tormentorumque nunquam antea visis formis, an Hispani, visa innumerabili hac virorum feminarumque vna in vrbe multitudine. Motezuma Cortesium cum cætero militum, Indianorumque comitatu, ad maius celebriusque palatium deduxit, paucisque cum Cortesio collocutus, mox ad aliud palatium diuertit.

Mexicanã vrbem intrat Cortesius.

Mexi-

Mexicanæ vrbis amplitudo ſituſque inacceſſibilis,& inhabitantium incredibilis & pene infinita multitudo, Corteſium in ſummam admirationem traxit, ſollicitum tamen reddidit: iamque veniebat in mentem Ciollolenſis factionis, quodque ante triduum Mexicanorum Indianorumque inſidijs pene oppreſſus fuerat. obuerſabatur quoque oculis deſignati ſibi palatij hoſpitijque ſitus, quem eiuſmodi eſſe contemplabatur, vt ſi quid aduerſus ſe auderent Mexicani, tanquam ergaſtulis clauſus teneretur, & nullo modo inde euadere poſſet. Quibus malis vt occurreret, vocatum ad ſe Motezumā per aliquot dies ſub cuſtodia tenuit: is poſtea dimiſſus comiterque habitus, ſe ſuaque omnia dedidit, cunctoſque imperij ſui populos ad authoritatem Hiſpaniæ Regum contulit, magnamque auri vim Corteſio tradi, theſauriſque regijs, quantumuis frementibus & indignantibus ſubditis, inferri iuſſit. Sed ſiue quod deditionis leuiter factæ pœniteret, ſiue ab alijs inſtigatus populares rurſus ad rebellandum animaſſet, contractis ſecreto plus quam centum Indianorum millibus, Corteſium ad ſe vocauit. ſumma poſtulatorum erat, vt vrbe Mexicana totiuſque regni finibus excederet. Corteſius, quaſi nullam moram decedendi facturus, nauium tantum penuria ſeſe detineri reſpondit, pateretur itaque iuberetque continuo materiem cædi, naueſque commode fabricari ac inſtrui. Huic petitioni cum haud grauatè annuiſſet Motezuma, citis nuncijs à maritimæ oræ cuſtodibus allata ſyndone hieroglyphicis Mexicanorum notis depicta cōtextaque, nunciatū

Motezuma Imperatori ſeſe dedit.

eſt quindecim nauium claſſem verę Crucis portum ſubijſſe, eaque aduehi octoginta equites, cum octingentis peditibus & aliquot æneis tormentis. Ad primum huius claſſis nuncium re ad ſecretiũs concilium relata, erant qui Motezumæ ſuaderent, vt Corteſium cum omnibus militibus ſtatim è medio tolleret, antequam nouo milite, equis, tormentiſque recreatus, vires augeret, Hiſpanicæque legiones illis terris aſſueſcerent. Sed cauſa in concilio ventilata vicit illorum ſententia, qui recipi in vrbem nouum hunc militem ſatius ducebant, ne intellecta ſuorum clade, facta ad naues fuga è manibus elaberentur: ſpectatam quippe & vtilem magis fore hanc victoriam, internecione cæſa tota gente, pluribuſque captiuis in cauſam ſacrificij reſtantibus. Motezuma itaque de aduentu huius claſſis Corteſium certiorem fecit: poſtmodum Petrus Hircius Corteſio nunciauit Pamphilum Narueſium hac claſſe à Didaco Velaſquio miſſum, vt eius actiones turbaret: ſed Narueſius cum à VeroCrucianis receptus non eſſet, Hiſpalim nouam ſeceſſit, vbi ab Indis, qui Corteſij illum ſocium & amicum eſſe putabant benigniter receptus eſt. Corteſius neceſſario ſibi Veræ Crucis profectionem ſuſcipiendam ratus, vt Narueſium ſibi conciliaret, aut renuentem armis repelleret, antequã aliquas turbas in continente excitaret, aut aliquam ſeditioni cauſam daret: Motezumã adijt, retulitque illi aduenisse nuper noua hac claſſe, aliquot amicos ſocioſque ſuæ gentis, quos fama eſſet ad ſe contendere, & Themiſtitanam vrbem verſus iter parare: & cum ipſe in animo haberet

Conſultatio Mexicanorum.

haberet breui Mexicanis terris decedere, consultius sibi visum, apud classem illos continere quousque instructis deductisque nauibus, ipse quoque naues conscenderet & in orientem vela intenderet. petere itaque se vt dum ipse abesset, fratres sociosque suos cum auri argentique aceruis quos Mexicana in vrbe relinqueret, in fidem custodiamque suam reciperet. Sese vicissim pro taciti beneficij haud ingrata memoria in Motezumæ gratiam simulatque fabricatæ deductæque essent naues, relictis Mexicanis regnis, pacato agmine domum vnde venerat reuersurum. Motezuma quia iam breui in itinere fore Naruesium satis sciebat, & vtriusque militem vna victoria debellare cupiebat, paucis placide respondit, omnia se ex fide, quæ cuperet facturum. Cortesius itaque Themistitana in vrbe relicto Petro Aluarado cum C C. militibus, magnis itineribus aduersus Naruesium contendit, stolideque tumescentem & ferocientem paucos post dies ex improuiso, nihil tale suspicantem, classe militibusque exuit, ipsomet Naruesio capto, sed parum absuit quin Aluaradus Mexicana in vrbe relictus, interea ab Indianis cum omnibus suis cæderetur. nam Mexicani, arreptis armis Aluaradum obsederant. Sed audito Cortesij aduentu, qui capto Naruesio redibat, omnes dilapsi sunt. Post paucos tamen dies haud absimili de causa sed pertinacioribus animis denuo ad arma conuocati, palatium corona cinxere, cumque lymphatis similes vltra centum hominū millibus ingruerent neque falconū aut ingentium sclopetorū ictus perhorrescerēt, eorūve metu

Naruesius capitur.

Mexicanorū motus.

ab incœpta obsidione dimoueri aut reuocari possent, & iam in palatij arcem euasuri viderentur, Cortesius à Motezuma petijt, vt furentem populum placaret, suaque autoritate à pertinaci oppugnatione retraheret: sicuti alias quoque Motezuma ad Cortesij nutum, imperij potestatem verbis explicauerat, tali euentu, vt hactenus semper etiam in atrocioribus mandatis Motezumæ iussis obedirent. Motezuma itaque hortante Cortesio, vt nunc quoque tumultuantes reprimeret, in superiore porticus parte, aut vt alij malunt, in murorum aggere cum vno purpuratorum, protectus duorum militum clipeis, popularibus suis Mexicanisque populis sese cõspiciendũ exhibuit. Viso Motezuma, alto silentio defixi paulisper qui euêre. Motezumá vehementi obtestatione pro iure imperij postulabat, vt ab armis recederẽt, neue vlterius aduersus Cortesium aut Hispanos tenderent, sed æquis animis periniquam hanc fortunæ sortẽ ferrent, ne grauius tumultuando, quẽ seruare contenderent, irritatis animis, omnino perderent. Tum Quicuxtemocus siue Quahumocus, procax lingua & manu iuuenis, populari gratia (quando iam pusillanimitatis Motezumæ omnes pertæsi essent) ad regnum destinatus, intento sursum arcu Motezumam increpans, semiuirum esse, & muliebria improperabat: nullisque amplius Mexicanos eidem legibus obstrictos vociferabatur. proinde non esse, quod in posterum obedientiam ab vllo expectet, postquam pusillanimitate animi fastigio regni deciderit, & seruili probro aspersus, cunctis Mexicani imperij populis ludibrio

Motezũa nititur popularem motum sedare.

dibrio

dibrio factus sit, desertor suorum fidelissimorum subditorum, quibus regni ruendi & noui Regis eligendi animus esset. Simul vndique saxa ingerebantur: Motezuma itaque lapide ictus interijt. Mexicani tamen nihilo segnius repugnantes Hispanos expulêre. In hoc exitu siue discessu, Mexicanorum libris relatum est Motezumam interfectum esse: vtcunque fuerit, haud equidem in magno ponã discrimine: constat Motezumam in hoc Mexicanorum motu perijsse. Cum Motezuma Mexicanorum regum familia intercidit: regnatum in Mexicana vrbe omnino sub regibus nouem, per annos C. XXX. post DC. XIX. annos quam à Chichimeicis Mexicana terra primum occupata fuit. Cortesium recedentem Tlascalenses confederati benigniter recepere: vnde mox rediens, vrbem Mexicanam acri obsidione pressit, & post tertium mensem, & sexaginta acerrimas dimicationes cepit, captoque rege Quaquhumoco Mexicani domiti temerariæ rebellionis pœnas dedere. capta est vrbs Idibus Augusti, anno a partu virgineo M. CCCCC. XXI. Subactis Mexicanis, Gazonus Mechuacanæ prouinciæ Rex, missis oratoribus, Imperatori se suaque dedidit, beneficiarioque iure ab illo tenere professus est; dedentibusque sese passim alijs populis, Cortesius cũ opima pace frueretur, expiatis ritè templis, Christo & Deiparæ virgini solemnes aras dicauit, restaurandæque vrbi (quæ præcedentibus motibus penè euersa erat) intentus, Mexicanam ciuitatẽ in hanc quam nunc retinet amplitudinẽ euexit Et cũ Mexicanas regiones auro scatere, & gẽmis

Motezumæ interitus.

margaritisq; abundare, nec longè abesse Oceanum varijs percunctationibus didicisset, nouã expeditionem ad detegendam occidentis maritimam oram suscepit, totũque Australe nouæ Hispaniæ littus ad vsque Culiacanas & Californiæ terras nauigans, Rubrũ mare quod alij Cortesij vocant, detexit. Sic vt merito post Columbum & Nunnium Valboam, detecti occidui orbis præcipuus honos Cortesio deferatur. Occiduarum hanc terrarum detectionem, & Mexicani regni translationem, atque immutationem, Cometes multo lumine ex Orientis partibus coruscans denunciasse creditur. Ipsi Mexicani flammantem, tremuloque splendore micantem ex Guastacano sinu & Veræ Crucis portu venientem, ab oriente ad occidentem ferri multo tempore conspexêre. Quin & humana effigie augustiorem speciẽ, cuius caput inter nubila condi videbatur, Mexicanis apparuisse ferunt. Ingentia quoque bellatorum agmina Hispanico ritu in aere decurrere visa sũt. Quæ res sermonibus occasionem prębuit, futurum vt Motezumæ tempore, barbari ex vltramarinis regionibus ablatum naturalibus imperium vsurpent. Tezcucanus & Tlacopanus regulus cõsternati nouitate eorum quæ afferebantur, Motezumæ improperabant, aeriorum horum bellatorum arma vestimentaque in nihilo differre ab ijs quæ penes se recondita habebat. Cumque petentibus iterum regulis vt prolatum gladium vagina educeret, neque Motezuma quantumuis totis connixus viribus ferrum dimouere posset, pro infelici òmine gentes, quantũuis barbaræ, accepere. Motezuma vt offensos

Mare Cortesii.

fenſos regulos placaret,multa excuſando,perſuadere illis nitebatur,arma veſtimentaq; illa in maiorum ſuorũ archiuis repoſita aſſeruataq; fuiſſe. Viſum eſt quibuſdam arcam illam veſtiariam in maris littore repertam, & à maritimis habitatoribus ad Motezumam cum gladio pariter & aureo annulo delatam fuiſſe. Ab alijs relatũ eſt,præfatos regulos conturbatos fuiſſe ad conſpectum munerum,quæ Corteſius ante aduentum ſuum Motezumę per Tendillum præfectum miſit,ſubijſſe tum primũ cogitationẽ,armis exuuijſque eiuſcemodi, legiones in aere depugnaſſe Sed hiſce omnibus memorabilior eſt viſio apparitioque, quæ paulo ante Corteſij aduentum cunctis Mexicanis inſpectantibus ſeſe obtulit. Captiuus quidam in expiationem regni cum multis alijs idolis ſacrificandus hoſtia ducebatur: is deteſtatus ferales ritus,verum Deum cœli ſupplex inuocans vt ſui miſereretur,multis lachrimis orabat. Protinus duo viri veſte candida amicti deprecanti viſibiliter aſtiterunt,hortantes,moriturus bonò animo eſſet, quando cæleſte numen cui ſeſe enixe commendauerat, illi propitiaretur: ſacrificulis tamen idolorumque miniſtris denunciaret,crudelem lanienæ & ſacrificij morem,primo quoque tempore diſiectis prophanis aris finem habiturum, iamque in procinctu eſſe quibus huius rei executio demandaretur,hæreditariũque harum terrarũ imperium, venturis temporibus concederetur. Inter has voces miſer ſanguine ſuo terrã cõſperſit. multi aſtantiũ nouitate rei attoniti, verba interfecti mactatiq; ante aras,& vultũ habitumq; iſtiuſce-

modi præconum accuratè notarunt: postmodum disiectis Mexicana in vrbe idolorum simulachris, expiatisque templorum delubris, cum Angelorum figuras, alis Albaque insignes, depictas conspicerent, præcedentis visionis personas habitumque agnoscebant pariter & mirabantur.

CAPVT XII.

Franciscus Pizarrus & Didacus Almagrus Peruanam adeunt & subigunt.

Peruuiæ siue Peruanæ prouinciæ detectio per Franciscum Pizarrũ.

DArte alia fortuna sub annum sesquimillesimum quingentesimum vigesimum quintum, vastas immensasque Peruuianarum prouinciarum terras, inexhaustis opibus celebres aperuit, ductu Francisci Pizarri, deuicto & capto potentissimo rege Atabalipa. Huius conquisitionis initia & progressus, nunc quoque breuiter recensere instituti operis ratio monet. In ciuitate Panama, quæ in faucibus Isthmi illius sita est, qui Australes Americæ terras Mexicanis cæterisque septemtrionalibus regionibus coniungit, commorabantur Franciscus Pizarrus, veteranus miles, Hoiedæ quondam infortunijs clarus, Didacus Almagrus, & Ferdinandus Lucius, qui cum opulẽtia atque facultatum copia cæteros longe anteirent, cõmunicatis inter se fortunis omniumq; bonorum societate inita, in id vnum erant intenti,

vt

vt noua ſtupendaque nauigatione, detecto aliquo terræ tractu nominis ſui æternam memoriam ad poſteros tranſmitterent. hæc inter ſe quotidianis ſermonibus agitando, eo deuenere vt proponerent, occidentalia littora æquatori vicina aut ſubiecta, noua perquiſitione tentare, quum Vaſquij Valboæ, & Corteſij labor, alios terrarum tractus magis ſeptentrionales detexiſſet. Franciſcus itaque Pizarrus, cui ex ſocietatis capitulis audendi proficiſcendique prouincia euenerat, impetrata nauigandi venia à Petro Aria Terræ firmæ ſiue Darienis cõtinentis præfecto, inſtructa diligenter brigantina ſiue myoparone, poſt diuturnam ignoti littoris explorationem cum CXIIII. militibus ad Peruanam obſcuram & ignotam tunc temporis gentem appulit; à Peruano littore ad Amboſtorum gentẽ venit, ſed occurrentibus paſsim babaris infeſtis telis, amiſsis aliquot militibus, ipſe in prælio ictus retrocedere & in propinquiorem Iſthmo portum deflectere coactus eſt. Almagrus interea cum fauſti benigniqúe rumores de Pizarro ſubinde vulgarentur, adornato inſtructoque nauigio, in quo ſeptuaginta viri fortiſsimi erant, Pizarrum ſequutus, ſimilem nauigationem aggreſſus eſt, delatuſque ad Sancti Iohannis portum, qui centum paſſuum millibus à Panama ide diſtat, nuſquam inuento Pizarro, luſtrabundus tamen inſtitutum curſum proſequens, circa hæc littora hæſit, ſed cum Pizarrum ad Amboſtorum fines penetraſſe intellexiſſet, huc quoque cõtendit, nihilo tamen benigniorem fortunam expertus eſt. nam ingruentibus barbaris venenatis ſagittis, Almagrus infelici ictu altero oculo orbatus

Almagri nauigatio.

batus est, multisque suorum cæsis, in fugam actus, cum paucis ad naues fugiendo vix euasit. Damni tamen accepti solatium fuit Pizarri inuentio, quem iniquo hoc littore discedens consequutus est. Tum quidem inter se gratulatione facta communicatisque cōsilijs viribusque, instructis duabus nauibus & tribus Indicis Canois cum CC. militibus, eidem sese rursus nauigationi accinxere, in qua pericula laboresque grauissimos perpessi sunt. littora ingentium fluminum quæ a præcelsis rupibus, magnis ostijs in pelagus euoluuntur, agmine vndarum obruta & constrata sunt; cæcisque occultorum vadorum syrtibus infestantur, difficilemque aduenis exscensionem præbent; quin & ipsa hæc fluminum ostia stridentibus immanibusque hydris plena sunt, quæ xx. aut xxv. pedum longitudinem æquant aut excedunt. Indi Gaymanes vocant. hæ magna vbique frequentia fluminum accessus obsidentes, diram proficiscentibus cladem inferunt: in terram quoque exeunt oua reposituræ quæ in arena littoris recondunt, vt solis calore excludantur, tardo incessu per arenarum aceruos gradiuntur (Niloticis Crocodillis persimiles) si quid in aquis sentiant, confestim ad ima detrahunt & dilaniant: canibus præcipue delectantur. Harum belluarum incursu Pizarrus & Almagrus magna sæpius dum littora illa perlustrāt, incommoda accepere. Incredibili insuper fame premebantur, cum absumpto lōginqua peregrinatione commeatu in regione inculta neglectaque nihil ad victum alimoniamque præparare aut nancisci possent, præter vnos littoralium terrarum, quas mangas vocant, fructus

fructus insuaues & insipidos ac muriæ salsugine infectos. Quamcunque in partem proras conuerterent, aderant infesti barbari, qui telis veneno infectis, nauigantes sine intermissione fatigabant probrosisque clamoribus onerabant, quod orbis terrarum exules, & veluti nebulonum scurrarūque sentina ab omnibus expulsi, in modū piratarum vagabundi errarent. Hisce circumuenti difficultatibus cum etiam ex CC. militibus vix LXXX. incolumes superessent, communi sententia placuit Almagrum ad nouum, in mortuorum locum, legendum militem proficisci: interea Pizarrus ad Galli insulam secessit, vbi inter summas angustias delituit. Sed Almagrus dum procuratis negotijs scriptisque militibus ad Pizarrū redire cogitaret, à Petro Rio Isthmi Dariensis præfecto præter expectationem retentus est, quod milites pertæsi periculosæ & infructuosæ nauigationis, per litteras clam præfectum rogassent, ne plures in profectionem omni periculorum generi obnoxiam abducendi Almagro potestatem faceret, vtque sibi redeundi licentiam daret. Didaco igitur Almagro Panamæ retento, præfectus reliquis per Tafurum legatum suum recedendi potestatem fecit: deserto itaque relictoque Pizarro, Panamam pene omnes rediere, sic vt ex lxxx. militibus, duodecim tātum multis precibus deliniti apud Pizarrum remanserint, inter quos recensentur Nicolaus Riuerius, Petrus Gretensis, Iohannes Torræus, Alphonsus Briseuius, Christophorus Peralta, Alphonsus Trugillanus, Franciscus Cuelarius, & Alphonsus Molinus. Quos Pizarrus blanda oratione cohor-

Pizarrus à milit. suis deseritur.

tatus, vt paululum sustinerent, meminissentque ad ingentis laudis honores diuitiasque enitentibus, per omnes difficultatum angustias fortissime gradiendum, eaque in vita demum dulcissima suauissimaque accidere, quæ magnis laboribus per culorumq; angustijs parta essent, hisce dictis confirmatos ad sustinendas fortiter secum qualcunque præsentis inopiæ angustias animauit, sed paucitatis suæ conscius, non ausus illic morari, ad Gorgonam insulam deflexit. Didacus Almagrus ægre obtenta venia, vna naui commeatum Pizarro in Gorgona degenti submisit, sine vllo tamen militum supplemento. Pizarrus itaque neque hic propter suorum exiguum numerum diuitius ausus morari, relicta Gorgona naues cõscendit, perpetuisque iactatus ventorum tempestatibus, aduersique maris furenti æstu, id tandem littus tenuit, quod inter S. Michaelis, & Trugilli colonias est. Sed cum præ suorum paucitate longius progredi non auderet, ouium gregem ad Chiræ amnis ripas depascentem cum aliquot barbaris cepit: inde fugienti similis Tumbæum peruenit. de ea vrbe ex barbaris didicit, celebrem quondam fuisse, regiamque Peruanorum regum celeberrimam habuisse, sed Punensium insulanorum irruptione prope euersam, à pristino nitore decidisse.

Tumbæum vrbs.

CAPVT

CAPVT XIII.

Dißidii inter Pizarrum & Almagrum origo: & Puna insulæ detectio.

PIzarrus cum nonnullos dies explorabundus hic hęsisset, Panamam redijt post triennium quam inde recesserat. Et quum conatus suos à Præfecto Darienis impediri animaduerteret, in Hispaniam contendit, expositaque Cæsari Carolo suæ nauigationis fortuna, huius regionis detegendæ præfecturam petijt, & obtinuit. Confecta itaque classicula, Panamam redijt, comitatus quatuor fratribus, Ferdinando, Iohanne, Francisco Martini, & Consaluo, quorum postremi semigermani, ipse Franciscus & Consaluus diuersa matre orti, naturales erant. Almagrus cum intellexisset Pizarrum in conuentionum tabulis, pro suo commodo omnia cum Cæsare transegisse, oblitumque amicitiæ & opis antea præstitæ, nullum sibi locum reliquisse, vehementer commotus Pizarro implacabiliter irascebatur, intercedente tamé Ferdinando Pontio, promissa aliqua imperij portione, Almagrus in præsentiarum quieuit. Pizarrus instructa liburnica cum fratribus in altum prouectus, aliquanto tardius, quam secũdum regionis litorisque naturam conueniret, Peruuinum littus tenuit, expositisque militibus ad Coaccios populos peruenit. Hi continuis negotiationibus excercentur, terramque habent omni commeatus genere abundantem, & ingenti smaragdorum prouentu nobilem, cuius

opulentiæ fidem vt faceret Pizarrus,eaque ſpe ad ſigna ſua plures milites confluerent,ſmaragdorum ſpecimen & aureorum nummũ triginta millia quæ apud Coaccios hoſce populos cõflarat duabus celocibus Panamã remiſit, inde ad Portum Veterem conceſſit,vbi caſas coloniæq; fundamenta moliri inſtituit. Ad famam Peruuianarum diuitiarum, Benalcazar & Iohannes Forefius,duabus nauibus,cum ſingulis equitum peditumque turmis, ex Nicaragua ſoluentes Pizarrum cõſequuti, oportunum illi auxilium attulere. Portus Veteris rebus conſtitutis cum verrucarum ſerpigine militum ora infeſtarentur, Tumbæum proceſſit, atque in inſulam Punam continentis littoribus obiectam traiecit. Inſula hæc aquæ dulcis cumprimis,& piſcium ferarumque copia abundans, incolas habet gnauis ingenijs & natiua virtute præſtantes, obiectis ſibi littorum accolis formidabiles,& multa nauigandi peritia vicinis cognitos, qui Tumbæum quondam expugnatum euaſtarunt. Nauigant enim duobus tignis,ſuper tabulatis, lignorum ſic contignatorum baſi, ne fluctuum aſſultu ſedentes moleſtentur.aſſerum contabulationem ſuperſtruunt, tantę firmitudinis atq; capacitatis vt equos perferat,& amplius quinquaginta vectores traducendos excipiat,quantumuis ſolo funium nexu iuncta & colligata ea ſit compages. Punenſes priuſquam Pizarrus traijceret, aduenarum hanc manum antequam littorib. niſce aſſueſcerẽt,& maiore appellentiũ indies numero augerentur, finibus ſuis arcere cupiebãt,ſed cum æquo marte nihil proficerẽt, ad notas fraudes delapſi, Pizarrum militeſque naui-

Puna inſula.

Punẽſium nauigia.

auigijs siue pontonibus suis receptos,dissolu-
s tignorum vinculis subito demergere decre-
erant,perfecissentque; sed siue Philippilli &
rancisci Pochecanorum interpretum indicio,
etecto dolo,siue quia barbaris nunquã fiden-
um esse præcedentibus militię suę tyrocinijs
zarrus didicerat, milites districtis gladijs in-
entissimè remiges obseruare iussit, eaque sin-
ulari industria cladẽ auertit. nam barbari de-
rriti micantium gladiorum fulgore, à fœdo
icepto destitere. Exscensione in terram facta,
izarrus humaniter a gubernatore susceptus,
ed postea fallacissimę gentis insidijs penè op-
ressus est,nam copijs oportuno loco abditis,
uptioneque in sequentis noctis tempus desti-
ata,legatos de pace & communibus rebus trã
gendis ad Pizarrum miserãt, oratione in per-
diæ simulationem tam aptè composita, vt Pi-
arrus syncerè secum agi crederet,neque tantũ
raudis perfidiæq; rudibus barbarorũ ingenijs
esse suspicari posset. itaque prolixè collau-
atos benigno respõso dimisit.Sed vbi rẽ certi-
s cognouit,magna cęde incautos nihilque tale
mentes oppressit,insulamque populabundus
ercurrit;postero die barbari canois suis,nihi-
o segnius lẽbis Pizarricis adnauigãtes,Consal-
ũ Pizarrum qui nauib. præsidio relictus erat,
agna vi adorti,penè circũuenerant, cũ nullo
orũ dãno,aut sclopettorũ tormentorumque
agore deterreri, vel vt cederẽt impelli pos-
ẽt:iãque vulnerato in femore Consaluo, non
ubia clades imminebat, nisi in tẽpore à Frãci-
o Pizarro submissũ ęquitũ præsidiũ,nauium
ropugnatores, cæsis quamplurimis barbaris,

Punensium perfidia.

 metu

metu periculoque liberasset. Tumbæum inde petere statuit, sed priusquam in continentem traijceret, demulcendos accolarum animos & noui beneficij gratiam ineundam ratus, sexcentos vtriusque sexus captiuos carceribus liberatos, domum remisit, missis vnà tribus militibus, qui regionis vrbisque situm cognoscerent. Sed barbari simul atque terram contigere, beneficij accepti immemores, omnisque humanitatis expertes, tres hosce Hispanos, barbara superstitione, veluti receptæ libertatis hostias, idolis suis crudeliter im r olarunt: eadem sors Ferdinandum Sotum, Floridæ postea Adelantadum mansisset, qui nauigio captiuos aliquot in aduersum amnem Tumbæo vicinum deducebat, nisi à Didaco Aquerio & Roderico Lusannio de Indianorum perfidia edoctus, mutato cursu ad suos celeritr redijsset. Tumbæi maritimæque oræ accolæ interea i bentibus regulis dynastisque, cum vxoribus, totaque supellectili deserto littore, ad montes celeriter perfugerant: quæ res Pizarri conatus retardauit. nam barbari scaphas canoasque quibus in terram exponere milites posset, fugientes abdiderant: per summas itaque difficultates expositis tandem copijs, Pizarrus Tumbæum processit, missisque ad vicinos barbarorum Principes legatis vt metum deponerent, ad colloquia conferenda, armisque om ssis pacem amicitiamque firmandam inuitabat. nusquam benigne audita legatio est, sed infesti exte orumque perosi, pabulatum profectos, aut comm eatum quærentes longius à locijs progressos, repentina incursione opprimebant: cuius pertinaciæ contumeliæque vindicandæ

Tumbæi bellum Pizarro mouent.

eandẽ causa, Pizarrus sub vespertinum crepusculum cum quinquaginta equitibus Chiram amnem traiecit, celeriterque inde per asperos ignotosque montium calles in aurora ad hostium castra peruenit, barbarosque rei nouitate attonitos, tumultuariè pugnam excipientes, castris exuit, omnibusque belli calamitatibus afflixit, donec pacem petentes oratores mitterent, cum aureis argenteisque muneribus. Huius victoriæ successus, Tangaranæ prouinciæ regulos accolasque, ad pacem amicitiamque similiter illexit. Coloniam inde S. Michaelis ad Chiram fluuium in Tangarana valle deduxit, portumque vt descendẽtibus fidelis tutusque receptus esset, communiuit.

CAPVT XIV.

In quo Atabalipæ regis Historia enarratur.

PIzarrum hisce rebus intentum, legati Guascaris Ingæ adiere, opem aduersus vim & iniuriã Atabalipæ orantes. nam Atabalipa Gynacauæ filiorum minimus, pro regni Quitonici possessiõe fratri bellũ mouerat. Hũc Gynacaua pater, Quitonico regno subiugato & in prouinciam redacto, cum ob lociamœnitatem diutius ibi permansisset, relictis Cuscone Guascare cum duobus alijs filijs, Maogone & Paulo, ex alia vxore genuerat, eumque supra modum diligebat, Cusconemque reuersus, in

Atabalipa Gynacaua filius.

 Quito.

Quitonico regno paruulum nutriri iusserat, cumque aliquamdiu Cusconica in vrbe hæsisset, Quitonici agri & Atabalipæ filij, quem præ cæteris diligebat, visendi desiderio ductus, cum Atabalipæ filij consuetudine & aspectu sese oblectasset, legato eidem Quitonico regno, vita excessit. Atabalipa defuncto patre legatis nuncijsque statim ad Guascarem missis, parentis mortem deplorans, & felicem fratri paterni regni Ingariatum siue imperiũ precatus, petijt vt eius pace atq; consensu, legati sibi Quitonici regni extra Cusconici imperij limites remoti, possessionẽ concederet. Sed Guascar auersatus Atabalipæ petitionem, regni Quitonici possessionem nullo modo sibi dimittendam censuit, quia sine imperij Cusconici eneruatione nullo modo fieri posset. Atabalipæ nihilominus si concepta regni cupiditate voluntariè liberaliterq; decederet, in eius rei detrimẽtiq; compensationem alia loca offerebat, cum immensis regiæ gazæ thesauris, quib. securæ vitæ tranquillitate, regij splẽdoris decus tueri posset; sin contra tenderet & regni cupidine abriperetur, eidem renuntiari iussit, tum sese regnũ vindicaturum & Atabalipæ temeritatem armis prosequuturum, Atabalipa intellecta fratris voluntate, celeri anticipatione hostiles fratris conatus opprimendos cogitauit: itaque expedito milite progressus, ingentia terrarum spatia à Quitone austrum versus inclinantia inuasit: iamque Tumebambam vsque peruenerat. Hic Guascar cum infesto exercitu accurrit, atrocissimaque trium dierum dimicatione, cum militum numero superior esset, Atabalipã ma-

Guascaris responsum

Atabalipa capitur.

gna

gna principum militumque ſtrage, qui circa illum memorabili morte dimicando ceciderāt deuicit, & viuum cepit. Victoria iſta non in huius modo prælij gloriam, ſed ad totius belli ſummam profuiſſet, niſi inſolentia vulgi pulcherrimam huius rei occaſionem corrupiſſet. Namque Atabalipa, cum Guaſcarianus miles frequenti & in multam noctem extracta potatione de victoria triumpharet, effracto muro fugit, & ſaluus ad ſuos Quitonem redijt. Vbi reparatis viribus, vt ſuos in ſpem melioris fortunæ erigeret, à patre Gynacaua ſeſe in ſerpentem transformatum, per rimulam euaſiſſe, certamque ſibi à patre aduerſus Guaſcarem victoriam promiſſam ementiebatur, ſi virilibus animis acceptæ cladis labem eluerent, & incepto forti obuiam hoſtibus irent. Hiſce ludibrijs, confirmatis ſuorum animis, educto rurſus exercitu, primum Guaſcaris exercitum multis ſecundis commiſſis prælijs fudit atque fugauit, inde fortunā ſequēs ducē, Cuſconē verſus contēdit, atrociſſimaq; crudelitate Canares populos aggreſſus, regionē euaſtaſſe & plus quā LX. hominū millia interfeciſſe creditur. Tumbæū inde progreſſus, ciuitatē deſtruxit, totumq; hoc Peru uiæ latus quod à Quitonicis finib. ad Caxamalcā vſque extenditur ſubiugauit. Punam inde obiectā Tumbæis littoribus inſulā quoq; tentauit, ſed magna ſuorū ſtrage repulſus incepto abſtitit, cum Guaſcarem fratrem numeroſo exercitu aduētare certis explorationib. didiciſſet. Guaſcaris itaq; legati Pizarrū adiere orātes auxiliū aduerſus manifeſtā Atabalipæ rebellionem. Pizarrus Guaſcari Regi nūciari iuſſit, cau-

Atabalipa Punam inſulam tentat.

ſam ipſius ſibi curę fore. ſic dimiſſis legatis Ferdinandum fratrem Tumbæum remiſit, vt militum manipulos qui iſtic adhuc hærebant properè adduceret. Ipſe interim ad Sancti Michaelis fanum contendit, relictiſque illic antiquis debilitatiſque militibus, cum reliquis Caxamalcam aduerſus Atabalipam contendit. Guaſcar propterea quod Pizarri aduẽtum exſpectabat, Cuſconicam ante vrbem ſtatiua habebat. Atabalipa qui antea fratrem Guaſcarem magnis itineribus aduẽtare audierat, miratus quænam illum res teneret, Quiſquiſium & Calicuchimam ſtrennuos duces cum quinque hominum millibus Cuſconem vſque præcurrere, hoſtiumque conſilia & ſitum caſtrorum explorare iuſſit. Qui cum non procul ab hoſtium exercitu eſſent, vt latentiores hoſtem fallerent, propiuſque ſine periculo hoſtilibus ſtationibus ſuccederent, alterius viæ diuerticulum ingreſſi, Guaſcarem venationi intẽtum, longiuſque à caſtris cum octingentorum tantum hominum comitatu prouectum obuium habuerunt. Atabalipani ad primum hoſtium conſpectum arma expediunt, Guaſcarem circumſiſtunt, & nihil auſum capiunt. Ad famam capti regis, quæ paucorum fuga per medias hoſtium ſtationes in caſtra non procul inde perlata erat, primo ſtupor & metus omnes inuaſit, dehinc pudore amiſſi regis accenſi, Imperatori & commilitonibus à paucis graſſatoribus interceptis ſubueniendum eſſe conclamant; ſumptis itaque armis & expanſis quã longiſſime alis, ne qua hoſtis fallere aut elabi poſſet, Atabalipanos adſequuti, ingenti corona circunda

Guaſcar Inga ab Atabalipanis capitur.

cundedere: iamque inſtans dimicatio,& ingẽs regem repoſcentium clamor penè omnes ita exanimauerat,vt contra Guaſcarianos ordines ac coronam, trepidi nihil auderent. Sed duces Atabalipani nouo conſilio Guaſcarem circumſiſtunt,ſtrictoque ferro terribili voce præſentẽ mortem comminantur,niſi ſuos illico inde faceſſere iubeat:tum Guaſcarem inter libertatis ſpem, & præſeutis mortis metum æſtuantem, tantus repente horror ſtuporque inuaſit,vt vitam libertati præferens,vehementi obſecratione ab incœpto ſuos deſiſtere iuſſerit,miſerque incerta ſuorum victoria,victus & captus mãſerit.Guaſcariani tanquam ſupremo erga reluctantem principem officio functi, cum operã ſuam regi ſuo inutilem eſſe viderent,dilapſi diſperſique domos ſuas abiere: ita Atabalipa nullo reſiſtente Caxamalcam victor tenuit. Pizarrus audito Guaſcaris infortunio, confeſtim per vaſtas Montupianas ſolitudines Caxamalcam verſus iter intendit: in itinere Atabalipæ legatum obuium habuit,pictos deauratoſque calceos,aureaſque armillas Pizarro deferentem, vt quum his indutus veniret, ab Atabalipa internoſci poſſet. Pizarrus dimiſſo legato,cœpto itineri inſtitit,donec Caxamalcam contingeret. Altera hic Atabalipæ legatio occurrit, ferociter vetans ne abſque Atabalipæ conſenſu hoſpitium deſumeret. Sed Pizarrus nullo dato reſponſo,caſtra more militari locauit & communiuit. Ferdinandum deinde Sotum ad Atabalipam cum viginti equitibus miſit,vt Atabalipæ voluntatẽ, qui inde mille ferme paſſibus conſederat,pacẽ an bellũ mallet certius intelli

Atabalipa legati ad Pizarrum

Altera Atabalipæ legatio.

 geret.

geret. Sotus cum equitibus prouectus ad vsque hostium castra, cum liberiore & concitatiore cursu procurreret, ingentem barbaris terrorem attulit, & cum nonnulli fuga aut corporis declinatione, in seruentium equorum impetum deuitassent ne currentium pedibus protererentur, hos Atabalipa vt alijs metum demeret, interfici iussit: nam Atabalipa Hispanorum paucitatem equorumque nunquam visum impetũ contemnebat. Miacabalica quippe Pochechicanorum regulus necdum expertus equorum ferociam aut Hispanici mucronis aciem, cum per legatos de aduenarum aduentu Atabalipã monuisset, per contemtum addiderat, barbatos hosce exiguo tantum numero aduenisse, assiduoque proficiscẽdi labore adeo fatigata corpora trahere, vt immensi itineris magnitudine victi pedibus vlterius progredi non possint, ideoq; ouibus grandioribus vectos insidere, quas vt terrorem alijs incutiant, equos vocitent. Cæterum venientem ad se Sotum Atabalipa nullo alloquio dignatus, per interpretem Pizarri postulata excepit. postmodum missus Ferdinãdus Pizarrus, quæ in mãdatis à fratre habebat breuiter exposuit: nam Franciscum Pizarrum traiecto enauigatoque Oceano, Regis Hispaniarũ auspicijs aduenisse, vt de communibus rebus cum ipso transigeret, regisque sui nomine pacem amicitiamque firmaret. Atabalipa solam eam superesse concordiæ amicitiæq; ineundæ conditionem respondit, si Pizarrus extemplo regnis illis decederet, auriq; & argenti spolia quę Punensibus Tumbæisque abstulisset, statim restitueret, tũ licere ei vt de cæteris disceptaturus

Atabalipæ responsum

rus

rus ad Caxamalcanam regiam veniat. Ita Ferdinãdus re infecta dimissus, prælio decernẽdũ fratri suo renunciat, plurimaque de hostium castris ac multitudine cõmemorãs, haud dubia timoris signa edebat: Sed milites interritis & inuictis animis omnẽ spem in diuinam opem, suasque dextras contulerant. Ipse Pizarrus paucis suos cohortatus, equites omnino sexaginta quos habebat, occultos, loco ad insidias oportuno considere iussit, ipse peditem ducendum suscepit. Atabalipa in aciem similiter descẽdit, locandisque ordinibus intentus, Ruminaxim ducem cum quinque militum millibus in caua valle pugnæ signum expectare iussit, vt auersos in pugnam hostes, nihil tale metuentes adoriretur, aut refugientes exciperet. Ipse sublimis Satraparum humeris aurea lectica gestabatur: præcedebant trecenti delectæ iuuẽtutis, regiis insignibus conspicui, à tergo purpuratorum turba sequebatur aureis quoque gestaminibus insignes, tanta victoriæ fiducia vt solo aspectu Christianos in fugam sese acturos confiderent: nam equorum pristinus ille terror, qui Miacabalicæ denunciatione satis resederat, cum equitem nullum conspicerent, omnem timorẽ Atabalipanis ademerat: ipse Atabalipa in subiectam Caxamalcanæ vrbis planitiem progressus, Hispanorum manum nullo equitum præsidio firmatam despiciens, Pizarrum nihil ausurum existimans, iam illos, inquit, tenemus. Interea Vincentius Valauerdius Episcopus, Bibliorum sacrum codicem manugestans, de creatione mundi, humani generis lapsu, restitutione & longa oratione explicauit: addens

summo

summo æterni numinis beneficio Carolum V. Hispaniarum regem præfectum suum huc destinasse, ad synceram eius opinionis fidem publicandam, vt sacra religione imbutus in cælestis hæreditatis ius atque partem cum subditis suis cooptari posit: quod si huius religionis placita amplecti, & beneficiario iure in Caroli Cæsaris clientelam concedere velit, egregie ipsum suæ cum primis suorumque saluti & paci atque quieti consulturum; sin veræ religioni idololatriam & paci bellum atque vim præponere in animum induceret, Pizarrum ferro & igne & quibuscunque bellicarum ærumnarum incōmodis vniuersum regnum euersurū. Atabalipa paucis respondit, sese fœlici victoria Guascaris fratris superbam fortunā euertisse, eoque belli iure capto, in suam potestatem vertisse, ideoque nihil sibi eorum quæ Pizarrus regis sui nomine agitaret curæ esse, neque scire quorsum tēdant quæ de noua religione Christianorum loqueretur, quando nullos ex maiorum suorum recepto præscripto Deos, præter Solem & Pagacanam agnosceret, mirum esse vnde hæc ipsi adferātur. Cum codice Antistes, quem manibus tenebat, omnia contineri dixisset, Atabalipa suscepto codice versatisque aliquot folijs, subridendo eundem abiecit, addens: nihil sibi hunc librum fari. Tum ad suos recurrens Antistes, retulit quæ viderat Atabalipanæ contumaciæ signa. Pizarrus intelligens vlterius cunctādū non esse, fratribus suis cum equitibus ex insidijs consurgendi signum dedit, ipse aduersus primum agmen, in quo Atabalipa vehebatur, impetum fecit. equites eodem momento tripartito agmi-

Atabalipæ responsum

ne inuecti,tormentaque in confertas barbarorum cateruas immissa,ingentem miserorum stragem edidere. nam catenis ardentibus ferreisque globis puncto temporis integræ virorum cohortes discerpebantur. Incumbentibus ferociter equitibus, Atabalipani metu præcipites in suos conuersi pro se quisque equorum obtritu eripere sese contendebat. Ingens certamen circa regiam lecticam contractum est, quod quidquid inter barbaros roboris erat, ibi ad supremam opem intentum paratumque staret, & seruandi regis magis quam sui periculi memores, gestantes baiuli, alij aliis incredibili celeritate succederent. Pizarrus metuens ne suis continua pugna defatigatis, barbari quantumuis in fugam palati, vires resumerent, atque prœlium regis seruandi causa redintegrarent, suos cohortatus, incumbi atque vrgeri acrius iubet. ibi prope nouo certamine cœpto, Hispanorum globus obiectos acerrime pugnantium cuneos perrupit, & ad regem per barbarorum stolidè in vltimam dimicationem pugnantium aceruos peruenit. Illum trepidantem, cædemque ac fugam suorum circum spectantem, Pizarrus arreptum promissa cæsarie, lectica detrahere nitebatur, tantusque lecticam impellentium impetentiumque Hispanorum ardor erat, vt Pizarrum, detractum lectica regem retinentem, vulnerarint. Capti solo que deiecti regis rumor fausto militum clamore vulgatus, veluti omni amissa spe, barbaros omnes in fugam dedit, tanta ruentium vi, vt dum pro se quisque primũ effugiendi locũ quęrit, miserabile se inuicem impedientium turba inuol

inuoluerentur, ac nisi murum Caxamalcanæ vrbis aream cingentem, metu vires addente perrupisset, multi mortales nouissimis primos impellentibus proculcantibusque, compresso intra viscera spiritu suffocati perijssent. Ruminaxis auditis tormentorum bombis cum frustra erumpendi signum expectasset, inter primum tumultum Quitonem iter intendens profugit. Nusquam ab omni hominum memoria tantum prædæ militibus cessit, iacebant toto campo aureæ argenteæque occisorum exuuiæ, quæ omnem auaris etiam ingenijs auri sitim demere potuissent: vltra ingentem aureorum argenteorumque vasorum operosis artificijs elaboratorum multitudinem, solius Atabalipæ castrensis supellex sexcenta aureorum millia excessisse fertur. Atabalipa cum captum se videret, rogauit vt comiter pro pristina sua fortuna secum ageretur, spondens si à Pizarro pristinæ libertati restitueretur, in redemptionem illam præter amissam direptamque supellectilem tantum sese cælati auri argentique impensurum, vt quadratam aream Caxamalcanæ regiæ, quousq; expor rectis brachijs contingere posset, oppleret. Pizarrus stupens ad tanti promissi amplitudinem cum Atabalipæ oblationem omnino sibi acceptandam duxisset, Atabalipa è vestigio in omnes partes ac præcipue Cuscum, ad totius prouinciæ thesauros Caxamalcam comportandos, citos nuncios misit, breuique ingens auri copia in castra delata est, maiorque indies comportabatur, promissi tamen perficiēdi impossibilitas quam Hispani animis conceperant, præsertim

Atabalipæ promissio.

cum

cum receptæ promiſſionis tempus effluxiſſet, effecit vt ſuſpicari cœperint, inanibus tantum verbis ſeſe à rege,aliud in illorum perniciem moliente,nouaſque copias contrahente, deluſos & ludificatos, vt reparatis interea viribus fractiſque carceribus effugeret. Atabalipa ſentiens quam apud ſuſpicacia ingenia magno in diſcrimine ſua ſalus verſaretur ex dilatione promiſsi auri, cum Pizarro multis ſuper ea re egit: ſubdens neque tantum temporis promiſsi elapſum eſſe, vt moram importandi auri, iniqua interpretatione ad fruſtrandi artes detorquere deberent, quando non diligentiæ intermiſsione, vlla auro conuehendo mora facta ſit,ſed locorum interuallo,præcipue Cuſconæ vrbis diſtantia: neque eſſe quod eum quid quam nouaturum timeant, quem carcere & vinculis clauſum in ſua poteſtate teneant. Si certiſsimis tamen iſtis rationibus à concepta fraudatæ fidei opinione abduci non poſsint, mitterent ipſimet legatos Cuſconem,qui præſentia ſui, auri conuectionem feſtinarét. Cum ſuper hac re ſententijs variaretur, exiſtimantibus cunctis periculoſum eſſe, infidæ barbarorum genti cuiuſquam ſalutem committere, fertur Atabalipa ſubriſiſſe. cur enim iter ingredi fideive ſuæ committere ſeſe vererentur, dum interea ipſe cum vxoribus & liberis vinctus obſes aſſeruaretur? Miſſi itaque Ferdinandus Sotus,& Petrus Barus. hi viſitatis in geſtaminibus, expeditis ſexaginta barbarorum humeris ferebantur, qui citato greſſu iter capeſſebant, alijs atque alijs eodem fere numero per diſtincta viarum ſpatia ſibi ſuccedentibus.

In ini-

In itinere Atabalipanos duces qui Guascarem captiuum trahebāt obuios habuerunt. Guascar compellans legatos rogabat, vt omisso Cusconico itinere ad Pizarrum redirent, suisque verbis peterent & obtestarentur, vt quando ambobus iam fratribus in suam potestatem redactis, totius prouinciæ imperium fortuna illi subiecisset, æquo iure litem hanc & de imperio quęstionem dirimeret: quod si faceret, & Atabalipę promissis sese plenissimè satisfacturum, & vlterius Caxamalcanæ regiam ad vsque summum tectorum fastigium solido auro contecturum: quod sibi exequi facillimum esse prædicabat, quando paternorum thesaurorum ineffabilem cumulum possideret, neque sibi necessum foret sacrilega manu, templis ornamenta detrahere, sicuti Atabalipa faceret, qui pro redemptione suæ promissionis, Cusconicum Solis delubrū spoliare instituisset. Erant vera quæ Guascar adferebat. nam in ipsis fraterni belli initijs eā ipsam paternorum thesaurorum gazam, magno fossorum numero occultissimè defoderat, omnesque eius rei conscios barbara feritate immisso crudeliter milite trucidarat. Sed Sotus Barusque, siue quod captiui regis infirmam spem, quasi impossibilia polliceretur, riderēt, siue quod destinatæ legationis suę munus intermitti non posse existimarent, nihilo segnius Cuscum versus perrexere: benignè tamen cōpellato Guascare, cuius causam expeditis Cusconicæ legationis negotiis cordi sibi fore promittebant. Atabalipa præmissis citis nuncijs de aduentu Guascaris, colloquioque cum Ferdinando Soto Baroque habito certior factus, fa-

Atabalipæ cōsideratio & nequitia

cile

cile periculum suum æstimans, si Guascaris postulata ad Pizarri aures peruenissent, fratris interimendi consilium cepit, cuius facinoris deliberatione æstuantem, à concepto scelere tardabat, quod di nstituis Christianorum acceperat fratricidia certis ingentibusque supplicijs vindicari: Itaque in lachrimas & mærorem cōpositus, cum sæpius illachrimando cibo potuque ac omni alia ciuili conuersatione abstinendo luctum satis simulasset, percunctanti Pizarro doloris causam, Guascarem fratrem audito captiuitatis suæ infortunio à præfectis suis præcipiti vindictæ studio è medio sublatum esse; respondit, cuius mors tantum animo suo luctus attulerit quantum fraternæ conditionis ac necessitudinis ius postularet. summo enim sese eum semper perpetuæ venerationis cultu obseruasse, quamquam belli fortuna captiuum in potestatem redegerit. non eam sibi vnquam mentem fuisse, vt vel regni fastigio deijcere, aut vita illum mulctare animum induceret, spectasse enim sese tantum Quitonicæ prouinciæ paterno sibi testamēto legatæ fortunam & pacificam possessionem. Pizarrus Guascarem communis naturæ leges impleuisse miserando commonstrans, rogabat Atabalipam bono vt animo esset, si iniquum adeo id sibi facinus videretur posse de homicidio quæstionem exerceri, postquam præsentes belli tumultus resedissent. Atabalipa sentiens conceptum fraternæ necis scelus eleuari posse, maturare facinus statuit, itaque extēplo ducibus suis clam interficiendi Guascaris negotiū dedit, quod tanta celeritate patratum est, vt nunquam satis resciri potuerit

Guascaris mors.

vtrum ante cædem, an post eam confictì luctus simulationem ediderit. Ferdinandus Sotus Barusque Guascarianæ mortis inuidia pene conflagrarunt. Seditio militaris deinde siue Guascaris miseratione, siue auri ferendi mora suscitata, Atabalipæ morrem quæ paulo secuta est, secus ac sperauerat, accelerauit.

CAPVT XV.

De iis quæ Atabalipæ mortem consequuta sunt.

Captiuum deinde aurum diuisum est. Regium vectigal CCCC. Castellorũ millibus æstimatum est, equiti octo aureorum nummum millia, & D.CLXX. argenti libræ: IIII.M.CCCCL. Castellani auri & CCLXXX argenti libræ cessere. Capitanei singuli triginta argenti, & quadraginta aureorũ millia abstulere. Pizarro vt Adelãtado & expeditionis Peruuianæ præfecto, plus euenit: mẽsam quoq; solido auro fabrefactã quæ lectica Atabalipę fuerat & xxv. Castellanorũ millibus æstimatã creditur præcipuã, habuit. Didacus Almagrus intellecta fortuna Pizarri, maximamque deuicto Atabalipa auri vim in castra eius conferri, ex antiqua bonorum communione aliquam huius opulentiæ partem affectans, in tempore adfuit: huic Pizarrus vt aliquali animi gratitudine incolumem adhuc pristinæ familiaritatis memoriam declararet, exulceratumque hominis animũ leniret: centum aureorũ Castellanorum

lanorũ nummũ millia donauit; militibusq;eius, quantumuis in nullam capti regis, de iure, fortunam admittendi viderentur, singulis viritim CCCC. aureos diuisit. In tanta auri argentique affluentia plurimi qui damnato nefandæ aleæ lusu, delatam sibi partem dissiparant, sordidi & egeni aliorum fortunam suspiciebant: Alio insuper malo auri argentique possessores premebantur. nam multiplicatis loculis, subito omnium quoque rerum caritas inuasit. nam ocrearum aut caligarum par xxx. Castellanis, cappa Hispanica centum aureis, vini mensura xx. aureis appretiabatur: equorum quoque vltra modum, ad tria, quatuor aut quinque ducatorum millia auctum est pretium: tenuitque quasi malo damnatam, hæc rerum omnium caritas sequentibus aliquot annis hanc prouinciam. Vectigale aurum cum relatione huius Peruuianæ expeditionis, Pizarrus per Ferdinandum fratrem ad Imperatorem transmisit. Plurimi militum tam vasta præda aucti, impetrato commeatu in patriam remeantes, fama Peruuianarum diuitiarum, totam Hispaniam compleuere, materiamque vulgi sermonibus præbuere, arrectis plurium animis in rerũ nouarũ & similis arridentis fortunæ spem. Petrus quoque Aluaradus veteranus Cortesij miles, qui pacatis Mexicanis regnis, Gualtimam Dariensis Isthmo proximam subegerat, permissuque Cæsaris gubernandam susceperat, intellecta Peruuianorum regnorum affluentia, instructis aliquot nauibus atque liburnicis, in spem Quitonici regni occupandi, ad portum Veterem

Petrus Aluaradus classe in Peruuiam contendit.

exſcenſione facta, per Arcabuxios montes ſecundum æquinoctij circuli tractum, poſt varios labores in Quitonicum tandem agrum peruenit. Aſperis hoc iter & incultis montibus pene inuium erat, nã ſupra verticẽ nihil niſi rupes aut cõfragoſæ & infrugiferæ valles, ſed torrida peruſtaque omnia ſolaribus radijs cõſpiciebãtur, nullis etiam vſquam fontium fluuiorumque ſcaturiginibus propter loci aeriſque inclementiam, In ea quoque regionis parte mons excelſior erat, Hiſpani *Volcanes* vocant, qui ad inſtar Siculæ AEtnæ igneas flãmas euomit, itinerantéſque bituminoſis glebis defœdat. Per inhoſpitas haſce terras ſibimet viam molientes, errabundis ſimiles gradiebantur, labore, ſiti & inedia confecti, vna ſupererat miſeris commoditas, quod magna in ijs aſpretis copia arundinum eſſet, quæ matutino rore madidæ mediocrem aquæ abundantiam arentibus miſerorum faucibus præbebant. Calentem hanc & arentem æſtu plagam, frigida madidaque regio excepit, vbi plurimum moleſtiæ amoliendis diſijciendiſque niuibus inſumtum eſt, quæ non montium tantum vertices lateraque, ſed & profundiſsimas valles alte contexerant. Rigebat in dextris ferrum, iamque præ nimio frigore arma manibus corporibuſque retinere aut ſuſtinere vix poterãt: cum vias quidam ſcrutarentur, niuoſis voraginibus hauriebantur, tantaque in ſumma mordaciſsimi frigoris vis erat, vt euntium pedes in ipſis veſtigijs conſtringerentur. Sexaginta milites obrigentibus membris veluti ſomno ſopiti, exanimati, in via hæſere. Inter hos quoque relatum eſt, cum vxorem filiaſque, quas adduxerat miles, viarum moleſtia

stia frigorisque intolerandis malis deficere, neque pedem amplius promouere posse cerneret, ipse in conspectu charissimorum pignorum obrigescere maluit, quam celeri gradu commilitones insequendo, infelici orbitatis memoria cruciari. hisce igitur difficultatibus superatis, in plana viciniora Quitoni loca, aeris & vallium salubritate præstantia, Aluaradus amissa in itinere pene tertia suorum parte, peruenit. Inde ad Almagrum & Benalcazarem opprimendos cõtendit, sed pace postmodũ inita, Almagrus summam centum millium ducatorum pro insumptis in clasiculam & milites impensis Aluarado dependit, quos postea Pizarrus Aluarado numerauit, & Aluaradus ad Guatimaliæ præfecturæ functionem recessit. Fœdus quoque post Cusconicum tumultum, leuiter satis, adiuncto sibi Soto ab Almagro suscitatum inter Pizarrum & Almagrum his conditionibus renouatum est. Vt Almagrus ad Chiliacos populos detegendos proficisceretur, quamque ea in parte regionem occupare posset, eam vt Cæsaris permissu Præturæ nomine obtineret, quod si nihil labore dignum occurreret, tum ipse & Pizarrus prouinciæ fines inter se partirentur. Sic Almagrus in Chiliacos abijt, sed mox accepto Cæsaris diplomate omissa infructuosa Chiliensium oppugnatione, Cusconem occupauit, & Ferdinandũ atque Consaluum Pizarros cepit, ita vt momento pene tantum durauerit huius fœderis renouatio, quæ res exitium Almagro postea attulit. Sed & ipse Frãciscus Pizarrus fraude Didaci Almagri Iunioris & Ioannis Erradæ circumuentus perijt, neque Almagro impune fuit. Postea Consaluus

Francisci Pizarri mors.

Pizarrus arrepta tyrannide, omnia cæde, ruina & incendio compleuit, totamque prouinciam exactionum contributionibus, bellicisquè calamitatibus ita afflixit, vt odiosum & detestabile Pizarrorum nomen in Peruanis regnis, omni tempore sit futurum. Ipse captus in ea pugna quæ in valle Xaquisaguana p trabatur, perpetuis militum suorum transitionibus desertus, arreptæ tyrannidis pœnas dedit. Multi alij insuper viri celebres citra vltraque æquatorem ad occasum meridiemque nauigantes detectis immensis terrarum spatijs ingentem rerum gestarum famam retulere. horum inferius suo quoque locò prout res incidet mentionem faciemus.

FINIS LIBRI PRIMI.

HIST. OCCIDENT. INDIAE LIBER II.

PRAECIPVARVM REGIONVM breuem descriptionem complectens.

CAPVT I.

De veterum & recentium Geographorum Orbis diuisione.

IN PARTium vniuersi descriptione veteres Geographi terrarum orbem in Europam, Asiam & Africam diuisere: Europa septentrionem, Asia orientem respicit, sed Africa meridiem versus excurrit, quæ partes sic sibi mutuo cohærent, vt continentis formam in plano repræsentent. Asiæ cohæret Europa in partibus septentrionalibus, dorso terræ inter Mæotidis paludē, & Sarmaticum Oceanum excurrente. In meridie Asiæ iungitur Africa Isthmo Iudaico seu terræ angustijs inter mare mediterraneum & rubri maris sinum coarctatis, residuum vniuersi, veteres, aquis & spumantibus vndique Oceani vndis concludi & impleri crediderunt. Cumque vnaquæque prædictarū partium vnam ex mundi plagis insederit, solus Occidens, illorum opinione vacuus, nihil ex ea diuisione obtinuit, aut consecutus est. Huius quoque cognitionis partes, duas tantum temperatas habitabiles

reliquas tres propter frigoris immensi asperitatem, & perpetuum gelu, aut nimium commeantis & impendentis solis æstum, inhabitabiles esse existimabant. Sed rerum vsu compertum est, veteres illos, quantumuis acres & in illarum rerum disquisitione apprime diligentes toto (quod aiunt) cœlo errasse, neque plenam aut integram triquetræ continentis propositæ notitiam habuisse: quando ipse Ptolemæus, summus harum rerum indagator, tantum octoginta latitudinis, & vnius semicirculi longitudinis gradus nouerit: ad quorum situm & proportionem Cosmographiæ suæ descriptionem extendit. In septētrione namque extra suam descriptionem reliquit Islandiam, Lappelandiam, Norvvegiam, Sueciam siue Gothiam, & Scaniam insulas: in meridie magna Africæ pars ipsius quoque cognitionem effugit. Et iam recentiorum obseruationibus deprehensum est, partes illas orbis quas antiqui inhabitabiles iudicabant, nō solum esse habitabiles, sed & commode habitari, muniente natura incolarum corpora aduersus caloris vehementiam, & frigoris intemperiem; neque rursus omnia Pōtum, aut Oceanum patrem vasto maris fluxu atque refluxu agere aut implere, nam terrarum longè maxima pars Asiæ & Africæ obiecta lateribus, Hispanorum & Lusitanorum nauigationibus nuper detecta est, quando auorum nostrorum memoria annuis & victricibus classibus orientem & occidentem peruagati, insinuatique terris incognitis, pleniorem harum rerum notitiā, vacuumque antiquorum opinione Occidentem, ingentibus terris habitatum retulere. Vt iam deinceps quadri-

partito

Partito diuisa vniuersi machina occidentem maximis opulentissimisque populis decoratum nostra ætas conspiciat, cui tantum ab vtroque æquatoris latere terrarum obuenit, vt merito multo maxima terrarum pars æstimetur quando in vtroque polo incipiat aut finiatur, & secundum longitudinem ad vltimum vsque Occidentis limitem pertingat, Asiamque intercedentibus tantum Aniani freti angustijs, & interiacente Iaponum insula, contingat. Incognitas hasce terras quidam a Platone in Timæo sub nomine Atlantidis insulæ, quam terræ motu perijsse refert, descriptas esse autumant: alij Senecam poetico æstro aut furore percitum, de hisce terris vaticinatum arbitrantur. de posteriore nihil moror: nam quidquid id sit, casu potius quam ratione dictum esse arbitror, haud secus ac nostris temporibus anno M.D.LX. in Antvverpiensium comicis exhibitionibus, quædam circa sequentium temporum statum effusa feruntur. Sed Plato cum de Atlanticæ submersione loquitur, non de aliqua particularium terrarum inundatione sed de generali cataclysmo agit, vt recte & scite monet Augustinus Eugubinus lib. VII. cap. V. perennis philosophiæ. Omnium vero primus incognitas hasce terras agnouit Euangelicus vates Esaias, cap. 18. & cap. 24. vbi de hisce terris adhuc agens, & cœptæ orationis filum prosequens, subiungit: *Secretum meum mihi*. quasi harum terrarum detectio, in secreto diuinæ mentis, nouissimis hisce temporibus reseruata fuerit: qua de re docte & pie Frederic. Lumnius lib. I. c. 12. de vicinit. extremi iudic. Dei. Et lib. 2, c. 1. 4. & 5. vbi tamen ab eo ca-

uendum.cap.3.quando post Theod.Zvvinger. lib 1.theat.vitæ hum.Atlanticam Platonis, existimat esse nouum orbem, patrum nostrorum memoria ab Americo Vespucio inuentum. Florentibus sane Carthaginensium rebus, relatum est, mercatores quosdam extra Herculeum fretum nauigasse ad terras quasdam incognitas, nimirum ad Fortunatas, aut Capitis Viridis insulas, sed ad has terras quarum inuentio in mente diuina reseruata erat, delatos fuisse Carthaginenses, neque credibile est, neque veritatis apparentiam habet, propter viæ longinquitatem, & ingentem procellosi æquoris distantiam, quum neque triremibus, neque minoribus nauigijs eo transfretari potuisse certum sit. Verius itaque est totum hunc terræ tractum veteribus incognitum mansisse, vsque ad reparatæ salutis annum M.CCCC.XCII. quo tempore Christophorus Columbus Hispaniolam primum detexit, mox secunda nauigatione Dominicam, totumque Antillarum archipelagus, tertia deinde nauigatione Pariam & Cubaguam inuenit, postmodum Fonduram, & occidentalis Indiæ Isthmum attigit. Dehinc Americus Vespucius Florentinus, ductu Lusitaniæ regis, vltra æquinoctialem nauigans, & ad Moluccas transitum quærens, ad ingentem hanc continentem fœlici sydere delatus, Americam à suo nomine nuncupauit. Quod nomen, nisi me fallit animus, retinebit semper, vasti dum stabit machina mundi. Americus ad Argenteum vsque fluuium progressus, subiens immensi fluminis ostium, optatum ad Moluccas transitum sese inuenisse ratus, nihil vltra moratus, repetita nauigatione in Hispaniam

Columbi nauigationum relatio.

ſpaniam rediјt.Debebatur credo diuina diſpen-
ſatione Ferdinando Magellano tantæ rei ho-
nos,qui poſtea anno reparatæ ſalutis vigeſimo
ſecundo poſt milleſimum quingenteſimum,vlte-
rius verſus Auſtrum nauigans,primus mortali-
um anguſtias illas inuenit aut ſuperauit, & de
ſuo nomine fretum Magellanicum nuncupauit.
Neque quenquam mirari conuenit,poſt anti-
quorum in deſcribendo orbe diligentiam,& am-
pliſſimorum imperiorum poteſtatem & opulen-
tiam, humanique ingenij diram ac inſatiabilem
auri famem, ad hæc noſtra vltima vſque tempora
harum terrarum detectionem dilatam fuiſſe:
quando vt dixi,detectionis illarum tempus late-
bat in ſecreto diuinæ mentis ,quæ omnia diſpo-
nit ſuauiter . Quis enim cognouit ſenſum
Domini , aut quis conſiliarus ei fuit ? quin
hoc potius mirandum , quod ij qui poſtremi
ſunt vocatione, primi fiant deuotione, dum ex
orbe noſtro , ad vltimas vſque terræ partes, &
paulo ante fabuloſos antipodes , exagitata
prauis dogmatibus tanquam indignabunda pro-
fugit religio. Sed ad rem : America ob immen-
ſam & incredibilem magnitudinem vna-
nimi geographorum & hydrographorum noſtri
temporis conſenſu,quarta totius orbis pars re-
putatur. Sunt qui quintam adijciant aut expe-
ctent,quorum opinionem vt ſequar,haud facile
induci poſſum:nam auſtralis terra qua ſeptentri-
onem reſpicit,anguſtijs tantum Magellanici freti
ab America ſeparata,ipſius potius portio cēſenda
eſt, vt conſtet quadripartita diuiſio, vnicuique
cardini ſuam terræ plagam aſſignans:aliterque
reputantibus, Lappelandia.Suedia , Norvvegia,
Got-

Noui orbis detectio in mente diui na latuit.

Gotlandia & Scania quæ extra Ptolemæi descriptionē in septentrione remansere, & in oriente vtraque Iaua, maris orientalis insulæ, nouæ quoque orbis partes integrales censerentur, cum tamen ab omnibus, nullo discrepante, Asiæ aut Europæ ascribātur, Fortasse rectius ille qui terrarum orbem tribus continentibus distinguit, quarum prima Europam, Asiam, & Africam, secunda Americam, longo totius propemodum orbis tractu supra & infra æquatorem, tertia Australem terram paucis hactenus tantum littoribus detectam comprehendat, quæ vndique mari clausa, nusquam partium alicui coniungitur, sed vndique spumante salo, insulæ formam retinet, suis se claustris & munimentis continens. Hæc consideratio superiorem distributionem singulis cœli cardinibus peculiares terræ partes assignantē, nihil impedit aut impugnat, Neque Ptolemæus si in hæc tempora incidisset, aut terrarum orbis intregram notitiam habuisset, ab hac sententia abhorruisset, quando qualecunque hoc suo tempore cogniti orbis spatium tribus continentibus seiunxit, lib. 7. cap. antepenulti. Et vt ipsemet interpretatur, terram habitabilem, tribus terrę firmæ partibus distinxit. Cæterum occidentalis huius Hemispherij tractus vbique circumnauigatus, & detectus est, præter illum qui ad septentrionem magis inclinat, & imum meridiei tractum contingit. Cæterum ex septentrione in meridiem descendentibus spectandam sese terra offert, sub forma duarum peninsularum, quæ tenui & perexiguo Isthmo distinguuntur: quarum superior pars quæ septentrionem respicit, Hispaniam

Nouam,

Nouam, Mexicanam prouinciam, & infinitas alias terras comprehendit: altera quæ ab æquatore in Austrum vergit, humani cordis speciem præferens, Peruuiam, Brasiliam, Platam, Chicam pluresque alias prouincias continet, & Papagallorum terram respicit, à qua freto Magellanico dirimitur. Cæterum in occidẽtalibus hisce peninsulis, maximæ sunt temporum rerumque mutationes, quando & Zonis, & tropicis diuersimode subjciantur. Contemplatione tam vastæ tamque admirandæ magnitudinis, huius Hemisphærij tellus, à quibusdam *India occidentalis* vocatur, ab alijs *Noui* & nuper reperti *orbis* nomine signatur, non quasi plures sint mundi, aut ita cum Democrito, Epicuro, aut Anaxarcho cæterisque veteris sapientiæ magistris, quorum iam dudum explosa est sententia, sentiendum sit: nam revera vnicus tantum est sol, vnicus est mundus: & Ioannes Euangelista, & ante illum multis sæculis, Moyses vnius mundi à Deo creati diserte meminere: quod si plures fuissent, nequaquam silentio hoc inuoluissent: vt mirum sit quorsum Ofiorum olim vesania euaserit, qui mundi pluralitatem ex Christi veri viuique verbi authoritate obstinate astruebant, quia Christus regnum suum non esse de hoc mundo testetur: nam inde non efficitur plures esse mundos. nam vere regnum Christi non est de hoc mundo inferiori & perituro scilicet, sed est spirituale & intellectuale, durans in æternum, & vltra. Eodem sensu loquimur, si quando ex mente scripturarum alterius mundi, alterius vitæ, aut sæculi mentionem facimus: & nos in hoc nostro opusculo, interdum no-

Noui orbis nomen

ui orbis, aut noui mundi nomen vsurpabimus, relatione facta non ad nouam aliquam mundi constitutionem aut creationem, sed inuentionem & recentem detectionem: nam nostris hisce temporibus eadem & prorsus talis est mundi constitutio, qualis ab initio olim erat cum cœlum & terram creauit Deus: & si verum amamus, Noui orbis nomen non est nouum apud classicos scriptores. nam & Germaniam Ouidius ad Liuiā scribens, & Hegesippus Angliam, noui orbis nomine cohonestat, Pomponius Mela alibi alterius orbis, Lucanus ignoti orbis meminit lib. 5. loquens de Arabibus in auxilium Pompeij properantibus. Et Iureconsultus Vlpia. *in leg. .xvii. Digest. de statu hominum*, orbis Romani meminit.

CAPVT II.

De terra Australi, & Chica.

Huius quidem cogniti orbis vetus schema imitabimur, quod monere visum est; in reliquis, nouissimis nauigantium membranis atque relationibus fere adhęrebimus. Ex vltimo Oriēte per meridiem progrediētibus Australis terra occurrit. Inde Noui orbis partiumque eius descriptionem ordiri visum est, dein sensim æquatori

Australis terra.

ori,mox septentrioni succedendo, beneuolum lectorem,antiquorum Geographorum descriptionibus abductum,ad proprios auitosque lares domum deducere. Australis igitur terra omnium aliarum terrarum australissima, directè subiecta antarctico circulo, Tropicum Capricorni vltra ad Occidentem excurrens,in ipso benè æquatore finitur,tenuique discreta freto Nouam Guineam Orienti obijcit, paucis tantum hactenus littoribus cognitam, quod post vnam atque alteram nauigationem,cursus ille intermissus sit,& nisi coactis impulsisque nautis ventorum turbine,rarius eo adnauigetur. Australis terra initium sumit duobus aut tribus gradibus sub æquatore ,tantæque à quibusdam magnitudinis esse perhibetur ,vt si quando integrè detecta erit,quintam illam mundi partem fore arbitrentur. Guineæ à dextris adhærent Salomoniæ insulæ multæ & vastæ,quæ nauigatione Aluari Mendanij nuper inclaruere. Mendanies namque studio inquirendi noui & incogniti cœli regiones,cum ex Limano Peruuiensi portu soluisset,perpetuis prouectus Euris, post trium mensium nauigationem ad insulas hasce delatus,Salomonias ex libito potius quam certa aliqua de causa nominauit. Nam Salomoniam classem quam sacrorum librorum annales *Reg. 3. c. 9 & 10.* in Ophir & Tarsis missam, aurum & argentum cum lignis Thyinis,ebore,simijs & pauis attulisse referunt,in orientem vela intédisse vt existimemus,multis magnisq; argumétis duci mur.

Salomonia insula.

nitur: nam præterquam quod neque ligna Thyina neque ebur ex America hactenus allata memorentur; terra Ophir sic dicta perhibetur ab Ophir filio Iectan qui vt Iosephus lib. 1. cap. 14. antiquit. Iudaic. testatur, sedem in Oriente constituit, quam regionem à Syriæ finibus vsque ad Cosmum Indiæ fluuium longe lateque extendi, & auri ditissimam fuisse perhibet. Vnde aurum Ophir siue Ophirizum quasi dicas obrisum, celebratur, quod ad alterius regionis aurum collatum, puritate vincat & principem locum teneat. Inde Hebræis Ophir per translationem quamcumque auriferam regionem designare cœpit, ad similitudinem Iectanæ regionis quæ puri obrisique auri fertilissima fuisse traditur. Quapropter vero similius est Salomoniam classem, ad terram Ophir dimissam, non ad Iectanam hanc mediterraneam regionem, sed ad Taprobanam, Malacham, Auream Chersonesum aliasque orientis auriferas terras nauigasse. In orientem quoque destinatas fuisse Salomonias naues ex prææallegatorum biblicorum annalium libro 3. cap. 9. aperte conuincitur, quando Idumææ in littore, siue Asiongabar maris rubri maritima ciuitate classem hanc adornatam, & stationem habuisse, in eamque Tyrios Sydoniosque nautas, syderum obseruatione, gnaros maris à rege Hyram cooptatos & Salomoni transmissos fuisse aperte illic refertur. Quod si in occidentem nauigatio parabatur, nihil opus erat Tyrios Sidoniosque nauclerос per immensa terrarum spatia requirere, sed in Tyrio aut Sydonio littore deduci instruique poterat classis, & recta per fretum Herculeum, flexisque dehinc modice ad

Ophir significatio.

sinistram

[s]inistram velis,continuis orientis flatibus in [H]ispaniolam aliasque circumiacentes aurarias [a]uriferasque terras dirigi. neque mouere quem [d]ebet quod Iosephus in littore Tharsico Israeli[t]icam hanc classem adornatam fuisse,referens, [v]ideatur indicare in occidentem nauigationem [f]actam esse, quia mare Tharsis ad Iudeæ occi[d]uum latus & mediterraneum mare vergat, vt [c]lare demonstratur, ex fuga Ionæ prophetæ, [q]ui anchoram ex portu Ioppensi in occiden[t]em prono soluẽs,fugit à facie domini in Thar[s]is. Inde enim non efficitur occiduum illam ma[r]e tenuisse aut sulcasse. nam Tharsis hic neque [a]d Ciliciæ maritimam ciuitatem refertur, quæ Tarsus alioquipropric dicitur, & sine aspira[t]ione scribitur & profertur,aut alterius cuius[q]uis regionis terrarum partem denotat,sed He[b]ræorum effuso & indefinito loquendi more, [p]ro ratione subiecti aut mare immensum, aut [p]rocul à nostro orbe remotas dissitasque regiones significat, nulla facta distinctione ad ortũ an ad occasum,à Septentrione ad Austrum, aut ab Austro in Septentrionem vergant, haud aliter atque nostris hisce temporibus disiectas longe à nostro climate regiones,Indiarum nomine denotamus: quo sensu verum est, Salomoniam classem in littore Tharsico cõstitisse,& in Tharsis & terram Ophir Orientem versus nauigasse. Verum quoque est Ionam occidentem versus ex Ioppe in Tharsis profugisse, nam vtroque loco generico nomine immensa maria,&regiones remotæ significantur. Cæterum Australis terra sub ipso Occidente vtramque Iauam,Sumatram & Moluccas respicit, ex Oriente Afri- *Termini Australis terræ.*

cam habet & Aethiopicum Oceanum, Septentrio angustijs Magellanici freti obijcitur & Patagonum terris. Chica vicissim eodem freto ab Australi continente dirimitur, ac eoi occiduique æquoris pulsata fluctibus, à Septentrione montibus Chilianis & Plata finitur, sic vt triangularem Patagonum terræ referat formã, cuius angulus incipit in ipso Australis æquoris limite, & æquinoctialem versus paulatim sursum ascendendo, latitudine penè vtrinque æquali extenditur.

CAPVT III.

Descriptio Australis terræ.

Australis terræ detectio.

Australis terra laciniatis vndique littoribus, erumpentibusque fluminibus portuosa est, eoque nomine nautis primum ex Orientali India commeantibus, cognita: & qua Patagonum terris propior est, à Ferdinando Magellano primũ lustrata & detecta est, cum fœlici ausu maris Australis angustias ingressus, mortalium primus nouam ad Moluccas viam monstrauit. Is siquidem post præfecturam regiæ classis in Africa & Oriente, indignatus, pro bene nauata opera, sibi denegari exiguum duplicati stipendij augmentum, relicta regis Emanuelis aula, in Hispaniam sese contulit, & Moluccas, intra limites Castellanorum sitas esse, aliàmque per Occidẽtem viam ad Orientis regna penetrantem sese commonstraturum edocuit, qua compendio, minoribus sumtibus, temporisque

jactu

actura, quàm Lusitani hactenus nauigassent, Orientis merces inuehi possint. Tenuerat antea aliquoties Hispanos de Moluccis controuersia, & à Columbi téporibus per intercursantis freti angustias ad Orientem indefesso studio viam quærere instituerât, sed cum optâtis fortuna nusquam responderet, agitatu maliquando fuisse memoriæ proditû est, de Isthmo Darienis perfodiendo, vt Austro mixtus Septentrio, expedita, vtrinque nauigatione, merces transueheret & commutaret suas: qua in re cum sententijs variatum esset, negantibus plerisque committendum esse, vt perfractis naturæ claustris, maria inter sese committerentur, quia ingruentibus vndis metuendum esset, ne in adiacentia erumpens mare, totam regionem inundaret. Haud absimili olim metu Sestostratem AEgypti Regem, & nuper patrum memoria Solimannum à cogitatione perfodiendi Cathabatmicum Isthmum abstitisse: alijs verius videbatur cautes durissimi maximique montis, quem natura vtrique mari obiecerit, nullo ferro penetrabiles, neque vllis humanis viribus domari aut complanari posse, optime naturam rebus mortalium consuluisse, quæ suos cursus fluminibus, atque originem & fines mari dederit, debitisque omnia terminis concluserit, quos transcendere velle curiositatis immensæ, & nullius consilij esse. Quinimo metuendum esse dictitabant, ne ipsum cæleste numen, cuius imperuestigabili consilio, in ipsa mundi constitutione, omnia bene ordinata sunt, molesq; & môtes insuper altos hisce angustijs impositi, temerarios hosce conatus auersetur, naturæ

que temeratores dignis ſupplicijs perſequatur. Siue ratio hæc valuit, ſiue difficultas operis, in eorum ſententiam itum eſt, qui nihil mutandũ cenſuerunt. Rebus igitur huiuſmodi concertatione ſuſpenſis, oportune ſuperuenit Ferdinanpus Magellanus, tentaturus num duo hæc maria in peruia vſpiam aliqua mundi parte coniungerentur. Magellano itaque cõmiter habito & promiſsis onerato, quinque naues attributæ ſunt, addito vt continuata nauigatione Americæ Auſtralia littora proſequeretur, donec illius regionis terminos aut peruij alicuius freti anguſtias deprehenderet. Magellanus anno Chriſti M.D.XIX. ex Hiſpalenſi portu in altum ſoluens, præteruectus Canarias maritimaſque Braſiliæ oras, ad Sanctæ Mariæ promontorium delatus eſt, quod fauces Platanæ prouinciæ, & fluuij tuetur: inde Sancti Iuliani portum tenuit vbi ſinus vaſtus vertentis freti ſpeciem edebat. Hic Magellanus iactis anchoris ſitum regionis explorare conſtituit: milites mediterranea peruagati Gigãtum ad terras ſeſe delatos cognouerũt: viri erant proceri decem pedum altitudine, ferinis pellibus contecti, vtque Hiſpanis ſui admirationem facerent, in ſignũ auitæ veræque fortitudinis, ſeſquipedales ſagittas abſque nauſea per guttur ad imum vſque ſtomachi demiſere. Hiſpani caſam duabus mãſionibus diſcretam inuenere, quarum vna trium gigantum, altera mulierum puerorumque ſtatio erat. Nocte hinc inde mutuo metu tranſacta, Hiſpani cum primum illuxiſſet, ſignis nutibuſque gigantes ad naues ſecum pertrahere nitebantur, conſtanter recuſantibus, vim quoque Hiſpani cum adhibituri

Ferdinandi Magellani expeditio.

bituri

bituri viderentur, gigantes vxorum ſtationem ubiere; vnde mox prodeuntes, picti deformatique coloribus, alijſque pellibus vſque ad genua prominentibus horridi, ferociter arma vibrabant, Hiſpanoſque nouo hoc ſpectaculo attonitos, tugurijs ſuis expellere parabant, ſed diſploſo Hiſpanico ſclopo, ingens gigantes timor inceſsit. Petita itaq; dataque pace, ſimul ad naues pergebant: ſed cũ immanibus paſsibus Hiſpanos anteuerterent, duo gigantes quaſi feram quam in via conſpexerãt, conſectarentur, dilapſi effugere, tertius ad Magellanum deductus humaniter exceptus eſt. panis bis cocti corbem vnico paſtu, & vini ſitulam facili hauſtu deglutijſſe fertur. Horrebat ſui ipſius formam cum ſe in ſpeculo contemplaretur; tantæ porrò fortitudinis erat, vt octo hominum labore vix dum vinciri potuerit, cum vinctum ſeſe vidit, mærore contabuit. Magellanus ſoluens ex portu Sancti Iuliani, ad Sanctæ Crucis portum deuênit, indè portum tenuit, quem vndecim mille virginũ nominauit, quod die diuæ Vrſulæ dicato hic anchoram ieciſſet. Regione ad Auſtrum inclinante, cõtinuatã nauigatione ſenſim inde enauigans, tandem freti illius anguſtias ſuperauit & vtrumque promontorium, deſideratum nominauit. Fretum hoc altiſsimis vndique rupibus cinctum, cxx. paſſuum millia in longitudine occupat. latitudo non reſpondet, neque vſquam ſui ſimilis eſt, aliquando duo aut tria, nonnunquam decem aut quinque miliaria patet, quaque anguſtiſsimum eſt, vnius miliaris ſpatio concluditur. Ipſe Septentrio ex orientis latere inter vtriuſque terræ anguſtias per ſeptuaginta &

amplius passuum milia innectus, australibus vndis miscetur: quæ ab occidente promontorijs illis desseadis siue desyderatis insinuatæ, Septentrionalibus aquis occurrunt, magnoque inter se molimine concurrentibus vndis, horrendo fragore totũ in spumas vertitur mare. Placidius Auster fluit refluitque, nam occidentis hæc pars cum incredibilis sit profunditatis, extenuatisq; passim littoribus maiorem in modum terra sese aperiat, quietum fluitãti mari accessum præbet. Sed Orientale huius freti littus, vadis breuibusque infestum; interiacentibus pluribus insulis, frequentibus æstibus agitatur & ingentes aquarũ motus ciet: littora altissimis ingẽtibusque vndique arboribus consita, viridantibus pratis gratum pecori pabulum præbent. Formidatũ hoc nautis littus hyberno cœlo innauigabile esse perhibent, propter ventorum inter pendentes rupes inclusos vortices; statis alioqui temporibus maris accessum & recessum patitur. Huius freti inuentio Magellano debetur, nam reliqui nauium præfecti constanter fretum esse negabant, & quidam desperatione viæ Hispanias repetiuerant. Præterea in tabula hydrographica Martini Bohemi, quam Emanuel Lusitaniæ Rex in suo musæo asseruasse dicitur, compertum est, nullum fretum adscriptum, sed locum tantum Moluccarum designatũ fuisse. Merito igitur Magellanicum à Magellano inuentore nomen obtinuit, quando ipse Magellanus anno salutis M. CCCCC. XXII. primus mortalium fœlici ausu, Australis huius maris angustias superauit, nouam & compen-

diariam

diariam viam ad Moluccas commonſtrans. Stabit igitur durabitque huius viri memoria dum pater Oceanus Borealibus inuectus vndis, Meridionales inuiſet nymphas. Trimeſtri deinceps ſpatio Magellanus enauigato hoc Archipelago Pacifici illud nomine inſigniuit: ſiue quia vento plerunque ſecundo, minuſque tempeſtuoſo vſus fuerat, ſiue quia propter ingentem vaſti æquoris amplitudinem nullos ibi ventorum gyros vorticeſque expertus erat. Sed Magellanum in medio curſu gloriæ, acerba mors ſuſtulit, nam ad Moluccas prouectus, à Mantanenſibus in inſidias præcipitatus, fortiter pugnans occubuit. Nauis cui bono omine nomen Victoria erat, meliori ſucceſſu læta, per ipſum orientem, ſuperato bonæ Spei promontorio in Hiſpaniam rediijt. prima omnium nauium ſine controuerſia, quæ circumnauigato vniuerſo orbe, de ipſo Oceano celeberrimum triumphum reportauit. Dum in Auſtralibus hiſce partibus per ſemeſtre circiter ſpatium hæſit Magellanus, nihil fere præter littora detexit & perluſtrauit, interiora tamen regionis penitus incognita manſere, qua tamen antarctico circulo vicinior eſt, conſtat magna ex parte montoſam ac ſylueſtrem eſſe regionem, continuis niuibus rigentem; non defuere qui cyanæi coloris niuem illic inueniri vellent, quod ego in medio relinquo. Auſtralem hãc terram Magellanus ab igne ſiue ignibus, *del fuogo* nominauit, propterea quod dum hoc fretum luſtrabat pernauigabatque, nullos vſquam mortales, ſed frequentes longeque porrectos ignes in ſiniſtro litere

Nauis victoria.

Auſtralis terra deſcriptio.

noctu ſæpius conſpexerit. Auſtrales breuioris ſtaturæ eſſe perhibentur. Septentrionales Chicæ incolæ, vaſta ingentique corporis mole, duodecim aut tredecim pedum paſſim longitudinem æquant aut excedunt, colore fere ſunt albo, perinde atque ſeptentrionaliores noſtri: voce adeo ſonora & horribili, vt bouis mugitum, aut elephantorum barritum potius quam hominis vocem exprimere videantur. tãtæ quoque ſunt agilitatis, vt pernici curſu ceruos anteuertant, ideoque difficulter ſclopis vulnerantur, niſi cateruatim ſimul incumbãt, aut ex improuiſo occurrant. Ingentis fortitudinis roboriſque argumentum eſt, quod vini dolium ſublatum, ſinguli nauibus inferant, & tres aut quatuor, nauem in profundum detrudant quã vix triginta noſtratium à terra molirentur. magnitudinis & albedinis cauſa, regionis frigiditati & humiditati adſcribitur, quãdo terra perpetuis horridiſque obſita niuibus, præduras & pene perpetuas efficit hyemes. Vtriuſque ripæ regio ſterilis eſt, nullo frugum beneficio recreata, ſatis tamen paſcua, proceris ignotiſque arboribus conſita eſſe perhibetur. Veſtitum incolis præbent ferarum & marinorum ingentia luporum tergora, quorũ apud ipſos venatio aſsidua, ſunt & ſtruthiones, quorum ſeſe plumis exornãt, faciemque pluribus foraminibus ornatus cauſa excauant, quibus viridis quoddã marmoris genus inſerunt: venatione victum & veſtitum parãt. Sed luporum marinorum non tam carnes, quam pelles amictus cauſa appetũt, quod duras illas & inſuaues eſſe quotidiano vſu didicerint,

cerint. visuntur illic etiam balenarum agmina, quarum ossibus mapalia sua construunt .Gens barbara & supra modum crudelis ,nullo humanitatis iure rerumve cognitione ducitur, naturæ tantum instinctu ad id quod instat & præsens est pecudum more agitur, & quia à nemine vnquam subiugata fuit,nulla apud illos Antistitij quo alter alteri præemineret , prærogatiua , Inhumaniores tamen reputantnr Australes populi , qui sub ipso Antarctico circulo collocati,longissime ab omni humanitate recedunt : si quādo peregrinis amicitiæ aut beneuolentiæ symbolum exhibere cupiunt (quantumvis id perquam raro eueniat) inter tripudia & patrios cantus , puluerem capiti inspergunt,aut si alios id facere videant,pro rato amicitiæ signo accipiunt. Ad bellum profecturi, ducem eligunt cui omnes obediant,plurimum arcu valent,quo ita scite & gnauiter vtuntur,vt quidquid oculis assequantur, iaculis feriant, & si quando sagitta aliquo nauis tabulato hæserit , vix multorum opera reuelli possit.arcus habent prægrandes , quorum nerui è ferinis intestinis,pollicis crassitudine conficiuntur:ingentibus quoque ligneis gladijs arman tur,vtuntur & funda,qua scite iaciunt,& quo destinarunt,modo iactus meta concludatur , contingunt & disijciunt.Hoc modo libertatem suam tuentur,credo propter exiguam vtilitatem, quando nullum operæ pretium sit , terras illas perpetuo frigore rigentes adire , & cum sanguinariis illis gigantibus manus conserere , aut confligere, nullum satis dignum ob præmium. In ipsis Magellanici æquoris faucibus , visitur

noua arx, quæ prudentia inuictissimi Philippi Catholici regis magnis sumptibus ad tuēdas huius freti augustias exstructa est, anno a natiuitate Domini, MCCCCC.LXXXII. postquam Franciscus Dracus, orbē circūuectus, superatis freti illius augustijs, inuectus pacificum mare, Quiuiram vsque nauigauit, exploraturus an vllus per arcticas angustias in Angliam pateret reditus, sed intolerabilibus penè subactus frigoribus, quum altitudinis quadragesimum secundum gradum attigisset, Anno M. CCCCC. LXXXI. Nonis Iunij conuerso ad æquinoctialem cursu spoliataque Iaua, æmulus decoris Victoriæ nauis præteruectus Asiam & totius Africæ maritimam oram, in Angliam reuersus est. narrationes tamen illius plurimū incertitudinis habent, illique ab Hispanis Lusitanisque naucleris in multis contradicitur. nam & Magellanicum fretum quod omnes, quinque aut ad summum decem millium passuum latitudine definiunt, CCXXV miliarium latitudine descripsit, in quo etiam contrarium habet Thomam Caundisch Anglum, qui postea similem tenens cursum, totum terrarum orbem incredibili celeritate circumnauigauit.

CAPVT

CAPVT IV.

Chilianæ Prouinciæ descriptio.

CHILI Peruanarum prouinciarum remotissima, in Austrum excurrens Chica & Patagonum terris clauditur: à Septentrione Charchantes & Collaones habitant, ab oriente Platam respicit, reliquum Oceano & pacifici maris vndis pulsatur aut abluitur. Propter intensum illis in partibus frigus, à frigore nomen habet: nam Chili barbarorum lingua, frigus significat. Regio ventosa est montibusque asperrimis clauditur: in vallibus locisque maritimis propter diurni cœli temperiem commode magnaque frequentia habitatur. Maritima multis fluminibus irrigantur, quæ colliquefactis diurno calore niuibus delapsa summis montium iugis, in pacificũ aut Magellanicum æquor feruntur, sed nocturnis constricta frigoribus deficiente fomento vix aquam trahunt. Incolæ vasta corporis mole Patagonum magnitudinem æquant, vndecim aut duodecim spithamas alti: ferarum & hippotamorum pellibus conteguntur. Fœminæ gossypio velantur aut lana versicolore, quam scite aptare norunt. Gens fera & crudelis, veterem ob inimicitiam aut libertatis tuendæ causa in perpetuo motu est. Arma sunt arcus & sagittæ, quibus promiscue hostes arcent, aut feras consectantur. Huius regionis temperies sana est, inter frigidam & calidam, cumque vltra tropicos procurrat

Chili à frigore nomen retinet.

currat,cum Hiſpaniæ & Europæis regnis ſummam conuenientiam habet,nam & dierum & noctium, æſtatis & hyemis maiora hic pene diſcrimina ſentiuntur,quam in vlla alia occidentalium regnorum prouincia: terra natura ſua fertilisomniumque ad vitam neceſſariorum abundantiſsima,melle,pecore, verzinoque ſiue tinctorio ligno abundat. Ingens hic quoque Struthionum copia, quorum plumis ſeſe Chiliẽſes exornant, horum venationem aſsiduam Hiſpani exercẽt: citis equis & per valles ſubſilientes longa conſectatione conficiunt. Gignit cumprimis piper longum,profert & laudatiſsimum vinum,comportatis eo ex Hiſpania palmitibus, auri obriſi hic quoq; ingẽs copia. Sed continuis bellis exhauſta rarius habitatur. Ingentibus quoq, ſæpenumero terræ motibus infeſtatur, quibus regionis ſtatus miſeris ſæpe modis perturbatur,nam præter hominum iumentorumque miſerandam ſtragem,integros quoq, mõtes ſolo æquat aut ſubuertit,fluuiorum naturales alueos transfert aut in lacus ſtagnantes commutat, & maris æſtum per aliquot paſſuum millia diuertit, naueſque in ſicco proculà ſtatione relinquit. Hoc pacto Arequipa nuper anno dominicæ Incarnationis M.D.Lxxx II. ab ipſis penè fundameatis corruit. De origine gentis multa fabuloſa narrantur, dum ſeſe primos mortalium maioreſque ſuos è lacu emerſiſſe, aut ex Andium cacumine proceſsiſſe volunt, ſed ea vti vana, hic nihil referre aut refutare attinet. Prima aduerſus Chilienſes, tum fama tantum cognitos, expeditio fuit Didaci Almagri, cum ex renouati fœderis conditionibus

cum

cum Francisco Pizarro initi, ea prouincia obuenisset. magnis itinerum difficultatibus superatis ad Chilienses penetrauit, confectus penè intolerandis inediæ, frigoris ac niuium ærumnis: multos militum equitumque rigentibus constrictisque præcordijs prægelida hyems absumpsit. Sed Almagrus cũ præter viros proceris corporibus metuendos, hispidisque marinorum luporum pellibus terribiles, sagittis à tergo lateribusque incursantes, suosque assiduè lacessentes, nullum ad huc vsquam auri indicium inuenisset, dimissa infructuosa Chiliensium oppugnatione, retro conuersus Cusconem repetijt totiusque rei & nauatæ operæ laudem Petro Baldinio reliquit. Qui post Cusconicum præliũ capto Almagro, ad Chilienses proprætor missus, gẽtem diurturno bello domuit, occupatisque maritimis locis opportunam illis in partibus coloniam deduxit, quæ sequentibus temporibus mirum in modum coaluit, & nunc gentis metropolis est, sita percommodo loco, ad importandum omne genus commeatus, & quoduis genus mercimonij exercendum. In prouinciæ huius montanis peculiaris ventus dominatur, non aliqua vehementia sed nimia sua subtilitate noxius. Olim terrestri itinere superatis altissimorum montium iugis, ad has terras primi detectores penetrarunt, sed propterteterrimam metuendamque huius ventuli siue auræ vim maritimo nunc itinere, aut secundum maris littus per planas regiones Chilienses adeuntur.

Noxia Chiliensiũ montium aura.

Auræ huius Chiliensis vis adeo noxia est, vt oppresso inter viscera vitali calore, viatorem extemplo interimat, mortuorum tamen

corpora nô infestat, sed à corruptione & putrefactione præseruat. Fama est Almagrum post quintum mensem eadem itineris spatia remetientem, multos suorum cum equis frigore exanimatos recentes adhuc integrosque inuenisse, manibus frena retinentes, equisque in suo gressu stantibus tali habitu, sicuti viui obriguerant. Quæ res contemplantibus admiratione digna merito videtur, sed ratio in eo est, quod Chiliensis hæc aura cum sit subtilissima, non suras, non pedes aut manus pertentat, sed ad intima præcordia penetrat, vitalemque calorem suffocat & restinguit: & cum in vltimo siccitatis gradu siccissima sit, corruptionem neque putrefactionem inducit aut admittit, sed mortuorum corpora præseruat, nam corruptio putrefactioque à qualitate calida & humida procedit.

CAPVT V.

In quo Plata prouincia describitur.

QVEM non oblectet amœnissimus huius prouinciæ aspectus, quando haud aliter atque irriguus hortus muro clauditur, ingentibus excelsisque vndique rupibus septa, innumeris irrogatur fluuijs. A Meridie Chica terminatur, Chilienses occiduum latus tenent, Septentrionem Brasilia & Charchantes claudunt, Oriés Oceano finitur. Ipse Platanus fluuius in Charchantibus

ortus magnis mæandris effectis, prope Ningatam in Parana sese exonerat. Cæterum Parana eiusque perpetuus comes Lepetius fluuius, in Brasilianis montibus orti, ad Austrum vergentes, multis aquis aucti, ingentes trahunt, sensimque ad solem orientem inflexo cursu, ingenti sinu in Eoum siue AEthiopicum Oceanum euoluuntur. Sinus iste qua latissimus est, ad triginta milliaria æquinoctialia patet, eoque nomine ab incolis Paranaguazu, quasi dicas mare magnum, vocatur. Ad confluentem Paranæ & Lepetij septem gemmarum insulæ conspiciuntur. Americus Vespucius, à quo huic continenti nomen inditũ, post Capralis nauigationem anno a partu Virginis M. D. L. missus Regis Lusitaniæ nomine, ad explorandum Brasiliæ situm, quærendamque alicuius noui freti compendio, viam ad Moluccas, post multorum dierum nauigationem, primus mortalium ad huius Argyrei, siue Platæ fluminis portum delatus est, conspectoque ingentis fluminis ostio, ratus sese optatum ad Moluccas transitum inuenisse, nihil moratus, vt erat multorum dierum nauigatione fatigatus. lætus domum redijt. Postmodum anno nimirum M. D. XII. Iohannes Solis Lebrissensis architalassus Regis Catholici ad ingentem hunc Paranaguazu, hoc est fluuium tanquã mare, peruenit, eique Platæ, siue cum Apollonio mauis, Argyrei nomen imposuit propter nitidissimas argẽti glareas, quas limpidissimis huius fluuij vndis trahi deprehenderat auri quoque signa nonnulla notauit, prouinciamque a suo nomine Solis vocauit: repedita

Septem gemmarũ insulæ.

repetita deinde in Hiſpaniam nauigatione huius prouinciæ procurationem obtinuit. Quarto poſt primam ſuam nauigationem anno, inſtructis, deductiſque tribus nauibus, cum ad Sanctæ Mariæ caput appuliſſet, cum quinquaginta militibus ex inſidijs ab Indis interceptus & diſcerptus eſt, inſpectantibus reliquis militibus naualibuſque ſocijs. qui metu amentes, ne tentata quidem vindicta, deſertores ſociorum, in Hiſpaniam velis contenderunt. Sebaſtianus Gabotus eiuſdem fluminis oſtium poſtmodum anno M.D.XXV. ingreſſus eſt, ſed ſine fructu in Hiſpaniam redijt, ſui infortunij nuncius aut teſtis. Cæterum quantumuis Iohannes Solis Lebriſſenſis, à ſuo nomine, vt dixi, prouinciam denominarit, illo è viuis ſublato, Platæ nomen prouinciæ manet, manebitque à flumine Plata, ſiue ab vrbe eiuſdem nominis in Charchantibus, vbi oritur fluuius haud procul à fodinis Potoſſiacis. Fama eſt non aliter ac Nilus AEgypti regionem inundat, hunc quoque fluuium Platæ arua fæcunda inundatione irrigare. Incolæ vaſta corporis mole ad Gigantum ſtaturam proxime accedunt: ſed Tibiguri & Vaſis fluuij accolæ, nonnihil de hac magnitudine remittunt, & quo propius æquatorem venias, ad noſtratium magis ſtaturam accedunt. Corpora incolarum, vt vaſta, ita & ſalubria, duaſque noſtrorum ætates excedere aut ſuperare feruntur. Tanta pedum velocitate pollent, vt admiſſi equi, aut fugacium ceruorum curſum ſuperent aut æquent. Lingua vtuntur Chicenſum, ſiue Patagonica, quibus finitimi ſunt. Gens in vniuerſum bellicoſa, multa feritate crudelis, ſagittis fundaque in bello valent plurimum,

rimum, perinde atque Australes, & Chicæ habitatores, quorum in bello quoque fortitudinem adæquant, plurimumque negotij detectoribus præbuerunt. Domita subactaque prouincia, Hispani ad famam Potossensium fodinarum aduerso flumine Charchantes & Collaones, mox Peruuinos terrestri itinere adiere, totiusque huius Regionis situm detexere.

CAPVT VII.

Brasiliæ descriptio.

BRasiliam à Verzino, siue coccinei ligni illic nascentis copia vocari, testatur Castaldus. Ab ortu solis, & septentrionis latere pulsatur Oceani fluctibus, à Meridie Platæ obijcitur, ab occasu Peruuiam, Collaones, & Charchantes habet, à quibus montibus aut Maragnono seu Orellano, ingentibus fluuijs, separatur, qui in Charanguis aut Cusconicis montibus orti, ad Picoræ confluentem coeuntes, magno aquarũ molimine, in Boreale æquor deferuntur. Petrus Aluares Capralis, anno à nato Christo millesimo quingentesimo, iussu Emanuelis Portugalliæ Regis, Calecutum petens, hanc regionem detexit: nam coorta tempestate cum ad vitandam Guineæ malaciam, & Bonæ spei promontorium superandum, longiore facto circuitu, expansis velis, in altum prouectus esset, diu multumque cum ventis luctatus, post vnius penè mensis nauigationem terram hanc

Brasiliæ termini.

in conſpectu habuit, continuataque ſecundum littus multorum dierum nauigatione, cum continentem eſſe deprehendiſset, primus mortalium ad hanc terram delatus, portum cui ab egregio ſitu, tutáque ſtatione Securo nomen impoſitum, ſubijt, erectoque glorioſæ Crucis ſigno, regionem Sanctæ Crucis nomine inſigniuit; quod nomen aliquãdiu retinuit donec profanũ vulgus à ligno tinctorio, ſuperindidit Braſiliæ nomen. Sed Capralis Gaſparum Leuium in Luſitaniam ablegauit vt regem noui climatis inuenti, certiorem faceret; ipſe nihil intermiſſo curſu Calecutũ contendit. Emanuel Luſitaniæ Rex, Americo Veſpuccio Florentino negotium dedit, vt accuratius explorato huius teræ ſitu, fretum aliquod peruium quæreret, quod compendio ad Moluccas duceret. Americus itaque nauigatione ad occidentẽ inſtituta, poſt ſexaginta ſeptem dierum iactationem anno à partu virginis milleſimo, quingenteſimo primo, Sancti Auguſtini promontorium tenuit, ſequendoque curſum inſtitutũ, ad Platæ vſque fluminis oſtium delatus, totum huius regionis orientalem tractum detexit, retinuitque vniuerſa regio Americæ nomen, ſed huic terræ vſu vulgi ſequentibus temporibus à ligno tinctorio vt dixi, Braſiliæ nomen ſuperinditum. Regio (vt ipſe Americus in ſuis relationibus teſtatur) imprimis amœna eſt per petua cœli clementia, lenium marinorum ventorum flatibus, nebulas, nocturnoſque vapores, tempeſtiue diſijcientibus: quæ ſalubris cœli temperies incolarum corpora ſana, robuſta, & vegeta efficit, & ad vltimam vſque ſe-

Braſiliæ deſcriptio

ne-

nectutem prouehit. Terra ipſa ſecundum littus maris quamlongiſsime extenditur; interius in colles aſſurgens, felix præpinguibus glebis, & irriguo ſolo, erumpenti ex circumiectis vndique collibus numeroſa fluuiorum fontiumque multitudine. Saccari cumprimis ferax, alia inſuber aliorum fructuum genera profert, vino tamen & frumento carent, ſatiua radice victitantes. vini penuriam artificiali liquore farciunt, quem tepidum hauriunt, præcipuumque mulierum officium, quo maritorum amorem demerentur, in tepidatione huius potus conſiſtit. Animalium peregrinorum hic quoque ingens copia, canes tamē aut equos, ante Chriſtianorum aduentum, neque viderant, neque nouerant: memoriæque proditum eſt, Gallum equo, quem ſecunda ſua nauigatione aduexerat, inſidentem, à Toupinambaultijs Gallorum fœderatis, procul conſpectum, antequam internoſci poſſet, ſagittis confixum, quod exoticarum rerum ignari, exiſtimabant nouam belluam, aut dirum maris monſtrum, recenter ſeſe terris intuliſſe: nunc tamen comportatis eò ſegete atque palmitibus, vino ac frumento abundant: inuectaque pecorum equorumque armenta, admirabili prouentu fœtificant. Incolæ ſubfuſci ſiue ænei coloris, nudi omnes incedunt, faciem fiſſuris deturpant, quibus viridis marmoris genus inſerunt, totū corpus expilant, relicto in vertice tantū capillitio. Sed mulieres comas pectunt, & paſſis circumuolitantibuſq; capillis gaudent, neque fiſſuris faciem fœdant. Gregatim viuunt, Nomadum in morem. Domos oblongas, horreorū, aut

Braſilianorū potus.

inuerſarum carinarum inſtar habent, multa-rum familiarum capaces. Lectis penſilibus vtuntur, ſicuti paſſim per totam Americam aliæ quoque gentes, teſtaturque Veſpucius ſuauiſſime in bombycinis iſtis retinaculis aliquoties ſe dormiuiſſe. In auroræ diluculo & in ipſa aurora ſurgunt, cibumque expediunt, vnico interdiu couuiuio contenti, tempus deinde piſcatione, venatione, tripudijs, cantionibuſque, aut iteratis compotationibus extrahunt. potum ex radice quadam confectum, tepidum (contrario atque apud Europæos modo) genialiter hauriunt. Incolæ Canibales ſunt, varijs regionibus diſperſi, nominibuſque diſtincti. Nulla Deorum cognitione ducuntur, orientem tamen ſolem venerantur, & animarum immortalitatem credunt. Mane cum ſurgunt ex xylinis illis ſuis retinaculis, antequam cibum capiant, vnus ex familiæ aut horrei illius ſenioribus, magnis paſſibus inambulans, ſæpiuſque idem (propter mapalium longitudinem) repetens, amorem tantum coniugum, & aduerſus hoſtes, vindictæ cupidum, fortemque ac tenacem animum concitabuudus inculcat. Coniugij amorem perpetuus compotationis ardor (cuius præcipua cura feminis demandata eſt) hoſtium cædem innata terris illis vindictæ cupiditas, fouet ac promouet. nam gens iræ vindictæque tenax, veterem ob inimicitiam in perpetuo motu eſt, vt parentum amicorumque olim ab hoſtibus captorum, ac deuoratorum, mortem vlciſcatur. Arma ſunt claua lignea, arcuſque, quibus plurimum valent, parmis exiguis ad excipiendas hoſtium ſagittas potius, quam corporis tuendi cauſa vtuntur

Braſiliani Canibales ſunt.

Arma Braſilianorum

vtuntur. Procedentes ad bellum, cornibus, fistulisque ex hostium deuoratorum ossibus confectis, prœlia cient. ad primum hostium conspectum, feris vlulatibus, multisque hinc inde conuitijs res geritur, ingeminatoque clamore cornibus perstrepunt, fistulisque sua fortia facta canunt, vibrantes hostium deuoratorum ossa, increpando comminandoque conclamant, nisi inde illico facessant, sese ignauissimos terrarum mactaturos, aut captos genialibus con uiuijs reseruaturos Cum ad manus deuenitur cominus pugnando, cruentã exercent victoriã. Inimicorũ occisorũ capita horreorũ siue mapaliũ postibus affigunt, tanquã auitæ fortitudinis monumenta. Captos in prælio hostes multorum dierum cura saginatos, mactant, dissectaque ac ligneis cratibus tosta viscera deuorant, non cibariorum penuria; sed innatæ vindictæ studio, quæ ne in victis quidem deponitur: nec captiuus hoc mortis genus refugit, sed alacer securusque ad mortem pergit, sua fortia facta numerumque hostium à se occisorum aut deuoratorum enumerans. In mortis articulo captiui contra percussores etiam facinorbus grassantur, lapidumque allatorum proiectione, multos circumstantium lædunt: sed præcipuum solatiũ est sperata parentum, cognatorumque vltio, quos confidunt hostium in posterũ capiẽdorum cæde suam mortem expiaturos. In hanc spem mulieres viduæ liberos educant, persuasum habentes maritorum manes inquietis sedibus agitari, donec filius paternæ iniuriæ hæres, inimicorum sanguine patris manibus parentarit. Nam hactenus animarum immortalitatem persuasam

habēt, existimantes, bonos fortesque, qui parentũ manes vlti, plurimos occiderint aut deuorauerint, captique qui belli fortunam animose tulerint, moriendoque hostibus insultarint, in Orientis partibus, in quibusdam voluptatis campis versari; contra ignauorum animas in occidente, infaustas sedes habituras. Hactenus belluis propiores, gregatim vixere per tuguria dispersi, donec Euangelicæ lucis gratia illucescente, in pagos & oppida contributi, legibus regi cœpere. Coloniæ maritimis in locis, diuersæ deductæ sunt, inter quas Tamaraca, Pernambucum, Illaos, portus Securus, Sancti Vincentij, Sancti Saluatoris, & aliæ multæ. Præcipuus in huius gentis conuersione, & cicuratione, Patrum Societatis labor enituit, qui perpetuo & nusquam intermisso studio vagam & efferam gentem, ad meliorem vitæ rationem perduxere, antiquatisque feralibus patriæ consuetudinibus, fœdisque epulis, veri Dei cultum, quamlatissime propagauere.

CAPVT

CAPVT VIII.

Peruuiæ descriptio.

PERVVIAM nonnulli ab Isthmo Darienis, ad vsque; Chilienses terras extendunt: sed hæc effusa, & nimium generalis designatio, à nostro instituto aliena est: non enim quicquid Ingarum superbo impotentique dominatui aliquando paruit, hoc nomine comprehēdere visum est, sed descriptionem nostram ab æquinoctij linea incipiendo, Austrum versus producemus. Prouincia à portu fluuioque eiusdem nominis, duobus gradibus vltra æquatorem, Peruuiæ nomen tulit. Septentrionale latus Popeanis terris, & continente Indica clauditur, sub ipso æquinoctij circulo, Austrum Chilienses distermi- nant, in oriente Plata Brasiliaque prouinciæ amplissimæ, occidentis latus pacifici maris vndis abluitur. Qua in littus, ad meridiem atque Occidentem obuertitur, plana & æquior est regio, quum vero in interiora longius abscedit, in altos excrescit montes, qui latissime expansis cornibus, perpetuis iugis, per Collaones, Charchantes, & Chilienses, in Magellanicum tandem æquor feruntur, extenuatisque pelago littoribus extremū promontoriū è regione Australis terræ, rostri instar extrudūt. Terra, quę sublimibus imminentiū montiū verticibus subijcitur suffocātis sabuli oppressu, & horrida frequentissimarū solitudinū vastitate informis & effœta,

Peruuiæ termini.

vix indigenis ſuſtinendis par eſt, quum præter agrorum ſterilitatem, iuſto fontium, lacuumque ſubſidio deſtituatur. Sed ad non mediocre leuamen humanæ neceſſitatis, lætiores in planis ſuccedunt valles, limpidis fluuijs frequentes. hi à præcelſis montium rupibus delapſi, tanta vi feruntur, vt omnem virorum, equorumque tranſitum reſpuant: ijdem brumalibus fere temporibus luxuriantes, adiacentes agros, ad frugum refocillationem, vtili inundatione irrigant, atque perfundunt. Quapropter indigenæ vt ſterilitatis detrimenta ſarciant, magna induſtria, vicinos amnium ripis agros exercent, qui perpetuis ſingulorum annorum ſatiuis reſtibiles, tanta felicitate ſata excipiunt, vt triticum, ſiliginem, & quodcumque frumenti genus, ſine multo arandi, occandique labore reddant. Ex montibus porro profuſi amnes, quindecim, aut viginti, vt plurimum ſeptem aut octo leucarum à ſe inuicem diſtantia, in mare decurrunt, ſeſeque ſuper littora vſque adeo profundunt, vt omnem proficiſcentibus viam intercludant, niſi tignis, retibusve, quæ in eum vſum cucurbitis aut eius generis tomento, ſuffarta habent, tranſmittantur. hæc accola, aquis innatans, fune attrahit, atque alter conto protrudit. hoc modo incumbentem viatorem traducunt. Porro Peruuini tribus potiſſimũ gentibus diſtinguuntur, quarum ſingulæ plures ſub ſe populos, nominum varietate diſtinctos habent, plurimumque inter ſe moribus differunt, diuerſis linguis diſcreti, frequenter inter ſe bella gerunt, aut depugnant, veterem ob iram. Veſtitus omnibus ferè idem, feminæ lanea veſte ad talos vſque propen-

propendente, mares indusiolo ad suras vsque superiecto pallio, vtebantur. Vario tamen capitum tegmine mirifice delectantur, eoque solo agnoscuntur, & discerni possunt. nam singuli pro vsitato patriæ more fasciolis simplicibus, tornatilibusque, aut versicolorib. vtuntur. Peruuini mediocris staturæ sunt, tantoque breuioris, quanto æquinoctiali propius succedunt. Indorum tamen Cabala relatum est, apud promontorium Sanctæ Helenæ, gigantum immanium sedem fuisse, qui quatuor virorum longitudinem æquarent aut superarent, quorum superbia dijs ingrata, hominibus exitiosa fuerit. Tantæ namque erant crudelitatis, vt balænarum marinarumque belluarum præda nondum satiati, triginta accolas raptos infandis faucibus deuorarint. Horum simulachra apud Portum Veterem, ab Hispanis conspecta sunt. Indigenæ vero memoriam eorundem anniuersarijs festis recolunt, & horrenda de eorum interitu commemorant; venisse cœlitus iuuenem, solis instar rutilantem qui feroces prosequutus gigantes, inque eos, ignes & flammas eiaculatus (quæ ipsas penetrarint rupes) in caua valle omnes internecione deleuerit. Iohannes Holuius, Portus Veteris præfectus, hisce rebus auditis, cum admirabundur eo in loco fodi curasset, tantæ magnitudinis costæ erur tæ perhibentur, vt balenarum potius quam hominum videri potuissent, nisi simul erutæ caluariæ, humani corporir ossa fuisse fidem fecissent. Haud à vero alienum est, immanissi mos crudelissimosque tyranno, peruersæ

etiamnum Veneris ſcelere infectos, diuina ira flagrante pari cum Sodoma & Gomorra excidio, è medio ſublatos fuiſſe. Sed naturalem incolarum ſimplicitatem facile mireris, quando ridiculas nobis negotiationes exercentes, vix inexhauſtas ſuas auri, argentique gazas intelligebant, aut capiebant. Gens alioqui per ſeſe inhumana, leuis, ingrataque, quæ nulla honoris, aut ignominiæ cognitione ducitur, morum abſurditate inſignis: iam olim & carnibus humanis veſci, nulloque diſcrimine conſanguineis, extraneiſque iungi, matres ſororeſque inceſtis nuptijs copulare aſſueuerat. Caſtella locis altis, atque eminentibus muniebant, vnde leui de cauſa inimicitias ciebant, capitaleſque exercendo, bella ducebant, captiuoſque iure belli maſtabant, fœdamque in ventris ingluuiem mittebant. Arma illis erant, enſes, haſtile præpilatum clauus ferreus, ſecuris aurea, aut argentea, funda, aliaque telorum genera, His libertatem ſuam multis ſæculis tutabantur, donec ab Titicace ſeu potius Intiticaca lacu, Ingæ numeroſo exercitu Cuſconem occuparunt, duce *Inga Zaphali*, qui Cuſconica in vrbe, fixa imperij ſede, deuictis incolis, breui circumiectam prouinciam perdomuit. Ingarum inſtitutis, populus ad ciuiliorem viuendi modum traductus eſt. nam & veſtimentis, & calceis vti accolas docuerunt, rudibuſque iam tum animis immortalitatis opinionem iniecerunt. Inter hos longe auorum ſerie ſuccedens Gynacaua, longiſſime propagatis imperij finibus, Quitonicum regnum, in prouinciam redegit. Huius regis opus, memorabiles

rabiles illæ viæ, quæ ad perpendiculum directæ, è Quitonico agro, Cuſcum vſque perducebant, deraſis altiſſimorum montium cacuminibus, aut profundiſſimarum vallium clauſis hiatibus. Via quæ mare propius ducit, ad ſingulorum dierum interualla, palatijs, horreiſque diſtinguebatur, in quibus veſtis, arma, commeatuſque reſeruabantur, venienteſque Ingę cum palatino comitatu, vniuerſoque exercitu, genialiter excipiebantur. Viæ latitudo viginti paſſus patebat, cuius latera perpetuo muro foſſaque, aut intercurrentibus riuulis, muniebantur. Sunt qui ſentiant præcedentium regum opera, longo temporis interuallo haſce vias ſtratas, & communitas, à Gynacaua tantum refectas fuiſſe: quod à vero non abhorret; nam cum trochleis cæteriſque fabrilibus ac mechanicis inſtrumentis deſtituerentur, magno labore muro aggerenda erat terra, inde lapides in murum prouoluendi, excreſcenteque operis altitudine, maiorem in modum promouendus, eleuandusque erat agger. Viæ iſtæ ad lineam directę, neque collibus, neque montibus lacubuſque, aut ſtagnis vllis impediebantur: ſed Pizarricis Almagriciſque tumultibus, multis in locis interciſæ ſunt, libidine nocendi, aut mutuo metu. Habitatur prouincia magna vbique incolentium frequentia, vltra Hiſpanorum Colonias, quarum quinq; in maritima ſiue plana regione numerantur. Portus Vetus, Sancti Michaelis, Fanum Trugillum, Regum ciuitas, & Arequipa. Sed montana regio vrbium frequentia,

Maritimæ regionis Coloniæ.

frequentia, hominum cultu, & ſoli aeriſque felicitate maritimæ præſtare creditur, regumque peculiari ſede & procerum habitatione coli, frequentarique conſueuit. Nam præter vberrimam frugum copiam, pluuijs iuuatur, & puteorum commoditate gaudet. Infinitis quoque accolarum vicis, & Hiſpanorum quinque colonijs celebratur: quarum prima æquatori proxima, Quito, hinc Leuantum, Guanuco, & Guamanga, alijs Sancti Iohannis de Victoria. Harum omnium regina eſt Cuſco, hominum cultu, fodinarumque opulentia cæteris omnibus ſuperior, quæ iam inde ab antiquis temporibus, magno procerum concurſu celebrata, totius aulæ & antiquorum regum domicilium erat; adeoque ſola inter omnes Peruanas prouincias, ante Hiſpanorum aduentum, vrbis formam faciemque habebat. Media vrbe ſtat arx quadrata, ingenti lapidum mole conſpicua: quorum copia quantumuis vicinis ex montibus ſuppetebat, ijs tamen trahendis vehendiſque, cum iumenta deeſſent, magno & incredibili indigenarum ſudore in vnum locum tracti, aut ijs ſuccollantibus comportati ſunt. Ager & frugum vbertate, aurearumque fodinarum (quarum ingens illic eſt numerus) felicitate gratioſus, à cœli aeriſque temperie mirifice commendatur. Cuſcones peculiari lingua vtuntur, quæ poſt Gynacauæ victoriam, cunctis ſub vnam poteſtatem redactis, aulica & præcipua haberi cœpit, eaque proceres vtebantur, & ius dicebatur. Vltra Cuſconem eſt Intiticaca lacus, quem rapidiſſimus amnis, aquarum in magnum

Montana regionis Colonia.

num

num sese spatium effundentium abundantia efficit, deinde velut intolerabili onere solutus, in pristinas aluei sui angustias rediens, iterumque velut ante illabentium amnium mole increscens, in alterum, sed minorem lacum prorumpit, laxatusque tantæ molis incubitu, obscuro exitu euanescit, in occultos, vt credi par est, specus subsidens, aluei absorpti subterraneo cuniculo in pelagus transmissus. Vlterius Collaones & Charchantes habitant, fodinis & fontibus argentei fluuij, quem Platam vocant, nobiles. Plata, siue Argyropolis, Hispanorum est colonia, non tam ciuium copia, quam incredibili opulentia celebris. Sed omnium præcedentium fodinarum famam superauit Potosiacarum venarum vbertas, quæ adeo breui tempore ininclaruere vt multis alijs destitutis, ad has magno fossorum numero decursum sit. Peruani quãtumuis nulla veri Dei cognitione ducerentur, de hominis tamen creatione, de diluuio, & vltimo terræ excidio, opiniones quantumuis ridiculas commemorabant: sed iam Dei benignitate, euangelij gratia donati, eadem nobiscum sentiunt, & sub potentissimi Philippi Hispaniarum regis dominio ac potestate, fœliciter conquiescunt, vt absonum mihi videatur, aliquid de illorum vetustis erroribus, sacrificijsq; referre. Illud magis memorabile est, quod in tanta omnis generis animantum multitudine, per vniuersum nouum orbem, ante Hispanorum aduentũ, equorum vsus, imno forma, Occidentalibus fuerit incognita. Horum defectum, ouium copiâ natura suppleuit, quæ camelis perquam similes, præter torosi pectoris strumam, equorum magnitudi-

Plata seu Argyropolis.

nitudinem adæquant,sed ad bellum viribus inutiles:virum tamen in tergũ sublatum, per aliquot passuum millia vehunt,sed si fessæ vrgeantur,insidentes,ore conuerso, fœdo odore halituque conspurcant.quod si sarcinis onustæ grauentur,in terram proiectæ,nulla verberum vehementia propelli possunt, nisi clitellis exonerentur.Harum ouium inequitationibus,furtum Otabalicum admissum est,cuius meminit Petrus Cieça cap.59.Vltra aliarum omnium rerum abundantiam.aurearum argentearumque fodinarum tota passim Peruuia ingens est copia,neque vlla pene colonia,quin auri venis splendescat. Et præter fodinarum incredibilem multitudinem,flumina hic quoque aurifera, quæ grumis arenisque rutilantibus, aureo profluxu decurrere videntur, teste Apollonio. Fert & cinnamomum.in regione Sumacide extat arbor,lauri frondibus perquam similis,fructus baccæ sunt, in foliculis tenui corticum circuitu conclusæ, eæ cum folijs ac radice,arboris cinnamomi odorem,saporem,substantiamque habent, sed his longe præstantius cinnamomum prębent eorundem folliculorum cortices circumductæ. harum arborum magna hic passim crescit copia, syluestribus in locis solo terræ aerisque adiumento sustentata,præstantiores tamen habentur arbores,quæ peculiari cura in hortis enutriuntur.Garcias ab Horto libro primo capite 15. Simplicium apud Indos nascentium negat cinnamomiferam arborem in America reperiri : sed aliam sui generis esse testatur. Cinnamomiferæ huius regionis tractum ,Consaluus Pizarrus, multis conflictatus ærumnis detexit. Cuius

Cinnamomifera regio.

expeditionis

expeditionis occasione totius Maragnoni cursus, occyssime ab ipsis fontibus cognitus patuit. Is in Quitonicis Cusconicisque montibus ortus, multis effectis mæãdris rapidissimo cursu in mare defertur, tanta iucumbentium ruentiumque aquarum mole vt per quadraginta amplius passuum millia superata maris salsedine, dulces latices prænauigantes experiantur. Pizarrus cum relicta Coca, barbarorum municipio, ad ingentem hunc fluuium multis difficultatibus pene expugnatus peruenisset, vt vtraque amnis ripa libere vti posset, nauigium magna industria infinitoque ac pene incredibili labore construxit, quo cum aliquamdiu vsus esset, Franciscum Orellanum naui ad expediendos commeatus præmisit, designato loco vbi sese prestolari vellet. Sed Orellanus à Consaluo digressus, siue rapidissimi fluuij impetu abreptus, siue æmulus, & noui decoris auidus, incredibili celeritate, ad immensi huius amnis ostium, quod septentrionem versus influit, delatus est, velisque, nusquam exspectato Consaluo socijsque, in Hispaniam contendit, huius prouinciæ præfecturam deposcens, Amazones, multaque alia affingens, vt voti compos præfecturam auferret. Orellani fluminis ostium quidam multis terrarum spatijs, à Maragnoni ostio abesse volunt: sed nouissimis nauigationibus compertum est vtrumque fluuium ad Picoræ confluentem coire; iunctosque multis effectis insulis, in mare decurrere, quod non abs re hic monere visum, & priorem opinionem exempli causa, quædam tabulæ exhibent. Maragnoni

Franciscus Orellanus.

Orellanique

Orellanique ripa, thuriferis arboribus consita, thus profert quodã loco Maragnoniũ passim vocatur. In hac prouincia ciuilibus Hispanorum armis in mutuam perniciẽ sæuitum est, quæ prouinciam multis in locis deformarunt, & Indianorum ingentem numerum absumpserunt. Sed hæc ab alijs latius.

CAPVT VIII.

In quo Castiliæ Nouæ descriptio.

BRASILIAE, Peruuianisque terris obijcitur Indicæ continentis vasta & late patens regio, plurimis diuersissimique regnis, ac populis habitata. Nam & Vrabam, Veraguam, Darienem, Popeianam, Carthagenam, Sanctam Martham, Venesuelam, tum etiam Andalusiam nouam, Pariam, Cumanam, & Cubaguam vnionum piscatione diuitem continet. Meridiei tractus Brasiliæ, Peruanisque regnis cohæret, à tribus reliquis partibus, Oceani vndis pulsatur, qua septentrionem versus inclinata prominet, ex aduerso Cubæ, Hispaniolæ & Boriquenæ littora respicit: dehinc sensim extenuatis littoribus, circa occidentis latus in arctum cogitur tellus, exiguoque adeo concluditur Isthmo vt ambo pene inter se committantur maria, perruptisque naturæ cataractis, pacifici maris vndis Septentrio misceri velle videatur. Tota Isthmi latitudo octodecim aut ad summum viginti passum millia

Indicæ continentis Isthmus.

milia patet, sed erumpentibus vndique fluminibus multis in locis laciniata terra, Isthmum magis coarctat, sic vt fontes Chagri fluminis quatuor tātum miliaribus à mari absint. Huius bimaris Isthmi angustiæ Mexicanum regnum, Nicaraguam, & Iucatanas terras aliásque septentrionalis Americæ regiones australibus prouincijs vniunt, atque coniungunt. Isthmi huius fauces obtinent Panama, & NOMINIS Dei ciuitas, quarum vtraque orientis & occidentis opes Europæis vtili commercio transmittit. Christophorus Columbus tertia sua nauigatione, Indiæ continentem primus mortalium attigit: dehinc funestis Hoiedæ & Niquesæ calamitatibus, ac Dariensium discordijs infamis, scena miseriæ humanæ videri potuit. Regionem auri vena diuitem esse, Columbi, & aliorum multorum relationibus constat, neque fodinis tantum vtilem, sed fluuijs auri arenas, grumosque voluentibus, abundantem: parum aliōqui fertilis; licet maizium quibusdam in locis profert. Olim nudi incedebant, mulieres veste linea ad genua vsque prominente tegebantur. Domus erant perquam amplæ, vt interdum in vno vico, duæ aut tres tantum mansiones reperirentur CC. aut CCC. hominum capaces. Gens bellicosa, arma illis arcus, sagittæ & lanceæ, sagittas veneno inficiunt, lethaliaque vulnera ingerunt. Supra modum crudeles; non tantum inimicos bello persequuntur, & capiunt, captosque fœdis mensis deuorant, sed stolidæ vindictæ cupiditate amentes, captiuos in spem prolis matrimonio iungunt, captiuisque, quos ad geniales dapes saginant, sororum affiniumque puellarum cōiunctionem indulgent, vt progna-

Fatuum vindictæ studium.

tos ex tali copula liberos, tanquam hostium viscera, cum lubet discerpant a deuorent. Dei cognitionem nullam penitus habebant, de animæ vero mortalitate ac immortalitate, non idem omnes sentiebant. nam quidam omnia continuo naturæ ordine vicissim nasci ac interire, vitæque finem animæ quoque interitum statuebant: alijs persuasum erat, animas post mortem deferri ad certum constitutum locum, vbi suauiter degerent, continuaque ludendi, edendique voluptate tenerentur. In vniuersum tamen gens supra modum procurandis sepulturis dedita, aurum ac gemmas, plumas versicolores, ac alia quoque preciosiora cum defuncto recondebat. Quibus vero animæ immortalitas persuasa erat, etiam panem, & potum, & vestes addebant. Sed iam euangelicę lucis gratia, & antiqua crudelitas, & incredulitas deferbuit, Euangeliumque Catholicorum Regum pia cura, illas in partibus per Antistites & sacerdotes magno cum fructu propagatur, erectis passim ecclesijs & Archiepiscopatibus. Vraba iussu Ferdinandi regis, Castiliæ aureæ siue auriferæ nomen tulit, limites eius à Panama Antiochiam vsque pertingunt, & vltra. Regio vasta, multis fluminibus, multoque auro abundat: sed perpetuis pluuijs fœda, & insalubris. Sequitur Popeiana prouincia, in meridie ad Peruuiæ vsque finet excurrens in Septentrione fluuio Sanctæ Marthæ finitur. Sanctæ Marthæ prouinciam Rodericus Bastidas anno M CCCCC. XXIIII. detexit. Secundum hanc Benesuelæ regnum; vtraque prouincia multa auri vena diues. Smaragdorum queis nihil viridius vident oculi, hic quoque prouentus.

Castilia aurifera.

Doctor

Doctor Gonsales Ximenius aduerso flumine mediterranea penetrans, primus in notitiam Smaragdorum deductus, cum ex locis mediterraneis æquatori vicinis adferri didicisset, continuata aduersi fluminis nauigatione, ad Bogoti regnum deuenit, à quo, edoctus fodinas hasce vlterius inquirendas, terrestri itinere, ad Smaragdorum rupem deductus est; tulitque mille octingentos ingentes Smaragdos. Cuius detectionis fama, ingentes diuitias & nominis claritatem sibi conciliauit. Postmodum in multis Peruuiæ alijsque locis æquatori vicinis, passim Smaragdorum sectura frequentata est, honor tamen eius rei penes inuentorem Ximenium manet. Miraculo est arbor huius continentis, Punica arbore maior, ex qua facta incisione, laudatissimum balsamum desudat, tanto laudatius, quod non decoctionibus, sicuti in Hispania noua, sed incisionibus naturali arboris defluxu colligatur, deficientibusque AEgypti septis, in occidentalibus partibus enatum inueniri haud temere miramur. Adeo vt si Monardo Hispalensi medico credimus, etiamsi nihil aliud in Occidentem nauigationes nobis attulissent, non inutilis fuisset Hispanorum labor, quum Balsamum hoc AEgyptiaco balsamo non sit inferius, si mirabiles eius effectus & vtilitates consideremus, quando ad ea omnia ad quæ AEgyptiacum olim adhibebatur, Indicum hoc balsamum sit efficax, vt idem author libro 3. simplicium medicamentorum ex India allatorum testatur.

CAPVT X.

Cumana, Paria & Cubagua descriptio.

TOTVM hoc Cumanæ, Pariæ & Cubaguæ littus, à christophoro Columbo detectum & perlustratum, vnionum margaritarumque piscatione perquam celebre est. Cubagua Orientis lateri adiacet, nullo frugum prouentu beata, lignorum & aquę dulcis cumprimis penuria premitur, ligna ex Margarita insula, aquam ex Cumanæ regionis ostijs petunt. In Paria passim ingentia coccinei siue brasilici ligni nemora lucusque: arbores ipsæ in non credibilem altitudinem excrescunt: fama est plerasque vix sedecim virorum brachijs concludi aut complecti posse. Gignit hæc regio & casſiam fistulam. Hisce in partibus reperitur mõstrosum illud animal quod vulpino rostro, cætera simiam fere refert, ac si quando aliò proles transferat, vtero exteriori in modum crumenæ inuolutas defert. Domos habent ligneas palmarum folijs contectas. Rebus familiaribus intentæ mulieres, agriculturam exercent. Viri arma tractant, aut venationibus indulgent. Statis anni temporibus totum hoc Cubaguæ & Pariæ littus rubescere autumant, quod florentium generantiumque ostrearum signum esse volunt. Sequitur Pariæ, Cumanæ & Maracapanæ ora. Pariæ littus tanta gratissmorum odorum suauitate fragrat, vt renascentis veris patria iure censeri possit. Cumanæ Pariæque regionis incolæ, ebrietatibus tripudijsque

Animal mirum.

ſupra modum dediti, olim nudi incedebant: animæ immortalitatem credebant, eaſque poſt obitum ad viridantes ſecretoſque Elyſios campos deferri ſentiebant, vbi genio indulgeant, continuiſq; compotationibus atque tripudijs tempus traducant: quinimo animas vocantes reſpondenteſque ſeſe audire perſuaſum habebant, ſi quando in cauis vallium penetralibus Echus vocem perciperent: ſed quam vere Echo aeris & linguæ filia verba aliena inſequitur, vocemque ſine mente gerit, tam a vero Cumanorum abeſt ſententia. Ad meridiem tendentibus occuurit Andaluſia noua, Bogoti regno vicina, & Smaragdorum prouentu nobilis. Carybana deinde Carybum anthropophagorũ patria originaria: vnde tanquam ex equo Troiano, per vniuerſum occidentem inſulas que vicinas, certiſsima humani generis peſtis inundauit. Efferum & ſanguinarium hoc hominum genus, nullis commercijs nulliſue blanditijs allici aut demereri vnquam potuit, ſed innata crudelitate conſtanter humani ſeſe generis hoſtes ferunt & profitentur, multa humanis ſanguinis ſiti, fœdiſque dapibus, quas auide appetunt & in ventris ingluuiem demittunt, infames. Quæ lues vniuerſum occidentem peruagata, ingentem illis populis terrorem intulit, tantumque crudelitatis opinione valuerunt, vt centum Indiani viſis decem Carybibus, extemplo fuga ſibi conſulerent. In occidentali limite huius terræ conſpicitur Curiana, vbi in commercijs exploratorij ſiue Lydij lapidis, ac ſtateræ ponderumque auri vſum, Hiſpani magna cum admiratione inuenerunt. Curianæ Pariæque littora multis vndique inſulis cinguntur, & ſeptentrionem reſpi-

Andaluſia Noua.

 cienti-

cientibus Antillarum insularum Archipelagus occurrit, inter quas Dominica, Matitina, Guada lupa & aliæ vicinæ. Ab hoc tractu ad Occidentem prospicientibus Boriquena, siue Sancti Ioannis insula apparet, vulgo à portu diuite, propter diuitem auri venam, quam inexhaustis profert generosa metallis. Insula in longitudine porrigitur ad quinquaginta pene milliaria, in latum patet duodecim aut septendecim, maxima latitudo octodecim pene miliaria germanica comprehendit. In insulæ meditullio montem esse autumant, ex cuius radicibus totius insulæ flumina scaturiunt, Cairabonus fluuiorum maximus, ad septentrionem decurrit, cumque omnes aureis glareis arenisque fluant, septentrionale tamen latus generosioribus fodinis commendatur. Meridiana pars portuosior, frugibusque beatior, maizium cæteraque necessaria vitæ producit. Columbus secunda sua nauigatione hanc insulam detexit; sed Iohannes Pontius Legionensis pacificata prouincia insulanos domuit, & Caparram in Septentrionali parte ædificauit, sed relicta Caparra propter ingentem aeris insalubritatem, conuersa ad occidentem habitatione, Guanica, iuxta ingentem insulæ sinum in fronte occidentis, habitari cœpit, anno à nato Christo M.CCCCC.X. sed propter insectorum molestiam, cito quoque deserta, & monstrante Sotto Maiore, Aguadam Coloniam deduxerunt. Anno M.D.XI. Boriquenenses rebellarunt, vocatisque in auxilium Carybibus, multos Hispanorum obtruncarunt, sed mox victi & in ordinem redacti quieuere. Hoc tumultu memoriæ

Borriquena insula.

moriæ proditum eſt, Berezillum canem ſtipendia meruiſſe, multoſque inſularium dilaceraſſe.

CAPVT XI.

Hiſpaniolæ, olim Haiti, inſulæ deſcriptio.

HISPANIOLA prouinciarum totius occidui orbis antiquiſſima, Cancri tropicum inter & æquinoctialem circulum ſita, ab oriente ad occidentem in longum porrigitur. Oriens clauditur longo inſularum agmine, ab occidente Iamaicam & Cubam reſpicit: qua in latum protenditur, ad ſeptentriones aut Auſtrum inclinat. Septentrionis latus ad Cancri tropicum fertur; à meridie quantumuis longo ſatis interuallo, occurrit continens terra Auriferæ ſiue Nouæ Caſtiliæ. Hanc inſulam prima nauigatione Chriſtophorus Columbus detexit, anno reparatæ ſalutis milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo, habitatoribuſque frequentem inuenit. A barbaris Haitti dicebatur, propter montium aſperitatem, interdum etiam Quiſqueia & Cipangi, à primis occupatoribus vocata eſt. Hos barbarorum Cabalicæ memoriæ ex Matitina Inſula, quam alij S. Crucis terram vocant, veniſſe memorant. Nam cũ ciuilibus factionibus inter ſe diſſiderẽt, & vna pars acri prælio attrita eſſet,

Hiſpaniolæ detectio

victi relicta victoribus auita insula, cum liberis & coniugibus nouas quærentes sedes, ad exiguam insulam in fluuij ostio delati, gaudentes in terram exiliere; egressique cum maiorem ripam detexissent, admirantes terræ illius amplitudinem, Quisqueiam patria lingua nuncupauere, propterea quod illam totius vniuersi, aut totum aut partem maximam reputarent: cumque progressi, ingentium asperrimorumque montium crepidines conspexissent, Haitti, hoc est, asperam dixere. Cipangi quoque nomen postea tulit, à similitudine montium quos in patria habuerant, quorum desiderio totam insulam Haitti nomine signarunt: eoque effectum est, vt Columbus prima sua nauigatione cum Cipangi & Cibai mentionem audisset, ad Zipangri orientis insulam se delatum putaret. Accidit hæc transmigratio vltra centum annos ante Columbi aduentum. Sed Columbus diminutiuo Hispaniolæ nomine illam insigniuit, dissimili prorsus ratione ac barbari, qui ex parua Matitina in ingentem hanc terram commigrantes, propter amœnitatem & amplitudinem Quisqueiam vocitarant, quasi parua foret præ Hispania, ex qua ipse nauibus aduectus erat. Exigua terræ distantia, ab æquinoctij circulo efficit, vt exigua illic toto anno dierum noctiumque sit diuersitas. Cum cancrum sol percurrit, continuus pene lucis vsus: mira illic aeris temperies, quando neque calor immensus, neque frigus immodicum, quantumuis in quibusdam montosis partibus, vbi altissimarum rupium moles conspiciuntur, frigora intentiora sentiantur. Toto anno arboribus hic suus stat honos, neque defluunt

Nominis ratio.

fluunt folia, nisi noua subnascantur, frutices, herbæ & legumina, quæ ex Hispania huc importantur, mira fertilitate luxuriant, breuique temporis spatio adolescunt. Frumentum in locis montanis frigidioribusque melius prouenire, experientia docuit. Regio est portuosa; & multis fluuijs irrigua; præcipuam tamen & amœnitatem & commoditatem inhabitantibus præstant quatuor ingentia flumina, quæ in ipso insulæ vmbilico, delapsa ex altissimorum montium iugis, in diuersissimas mundi partes abeũt. Iuna ad orientem, ad occidentem decurrit Attibunicus, Iachus septentrionalibus, Naibus meridionalibus aquis miscetur, sic vt quadripartito insula diuidatur. Sed quo tempore Columbus primum eo delatus est, quinque potentissimi reguli siue Cacici, quibus minores parebant, insulam obtinebant. Orientalem insulæ partem tenebat Caiagoia, mediam insulæ partem & Xaraguam Beheccius regulus obtinebat, Guacanarillus Borealis partis dominus erat. Septentrionalia hæc littora Christophorus Columbus prima sua nauigatione detexit, ictoque cum Guacanarillo fœdere arcem erexit, præsidioque XXXVIII. virorum communiuit. Reliqua montana occupabat Caonabus, regulorum omnium potentissimus. Inde prouincia in quinque partes aut præfecturas à quibusdam diuidi cœpit. harum partium prima, quæ orientalem insulæ partem respicit, Caizimu, id est principium, vocatur, cuius fines à prima & vltima orientis fronte, ad Ozamam vsque fluuium in cuius ripa Sancti Dominici ciuitas exstructa est, producuntur; in Septentrione Haitti mon-

Insula per præfecturas diuisio

 tibus

tibus & Iuna fluuio terminantur. Secunda in meditullio insulæ, Huhabo incolis dicitur. Tertia pars occidentem solem respicit, vocaturque Quisqueiorum lingua, Caiabo siue Cahabo. In Septentrione Cibauijs montibus, & Iaccho flumine terminatur, & ad Naibæ vsque fluuij fontes excurrit. Bainoa septentrionalia tenet, à Caiabo ad insulæ Guacayarima, hoc est, finem, tanquam posteriorem, & magis arctam seu strictam insulæ partem appellauere. Sed hæc barbarica nomina nunc parum frequentantur, successu temporis nouis subinde impositis aut vsitatis. Inter cætera huius insulæ admiranda, in orientali parte editissimoque monte conspicitur spelunca, quingentis haud amplius passibus à mari distans, cuius introitus portam alicuius magni palatij refert: in hoc specu per densos subterraneosque meatus, ingenti impetu flumina per quinque millium stadiorum spatium ferri audiuntur, tanto ruentium aquarum strepitu, vt qui propius accesserit, ad tempus surdescat. Hæc aquarum confluentia in lacum ingentem concrescit, in quo Charybdes Syrtesque, vndarum breuibus infesta loca. Est præterea in Bainoa ingens lacus, Indi Hagueigabon, nostri mare Caspium vocant, is infinitis vndique fluuijs auctus, nusquam tamen excurrit aut exoneratur, sed cuniculo absorbetur: haud vanis coniecturis creditur rupes hasce spongiosas, per subterraneos meatus maris aquam recipere, quod ibidem multitudo marinorum piscium inueniatur, & aqa maris salsugine infecta tota muriatica fit. Subterraneum hoc mare ventis agitatum, sæpe multos Indianorum lintres siue canoas demergit.

Mare Caspium.

mergit. In huius lacus medio insula Guarizanca conspicitur, piscationibus frequens. Alij insuper quantumuis minores in hac insula sunt salsi lacus. est quoque Maguanus lacus, præstantissimis aquis nobilis. salis hic quoque ingens prouentus. nam & in montibus, instar cristalli limpidi effoditur. Vltra supradictos lacus, ingens etiam fluuius in mare salsus decurrit, quantumuis dulcis aquæ infinitis riuulis fontibusque auctus. Auriferam fuisse, iam inde à Columbi temporibus repetitæ nauigationes demonstrant. Gonzales Men doza totum orientale insulæ latus præter septentrionalia littora, auriferis fluminibus decurrere testatur. Fama est Cibauijs in montibus, tam vehementes luxuriantesque auri venas prouenire, vt instar plantæ vineæque è terra prorumpant, aut excrescant, quod in Hungaricis quoque fodinis vsu venisse relatum, nemo miretur, quando haud ita dudum infanti septenni in Silesia aureum dentem natum, multorum testimonio constet. Incolæ natura ociosi & desides, victum sine labore parabant, piscationibus dediti, nudi incedebant. Rerum omnium vnum motorem inuisibilem credebant, cætera erroribus inuoluebant: sed diuina præueniente gratia, in euangelicæ veritatis lumine suauiter conquiescunt. Procedente tempore sacchariferis eo translatis arundinibus, fabricatisque molis terendis cannis, institutisque officinis, ingẽs sacchari prouẽtus, & secundũ fodinas, præcipuus esse cœpit. Insulæ caput, Sancti Dominici ciuitas, cuius occasione tota insula vulgariter Sancti Dominici nomen tulit. Illic regius

Dens aureus Silesii pueri.

senatus

us senatus,& Archiepiscopalis sedes, quinque sodalitijs siue monasterijs celebris. De huius insulæ situ, mirandisque aut nouis, qui plura requirit, adeat Domini Petri Martyris decades Oceanicas, præcipue decad.1. lib 3.& decad.3. lib.7.8 & 9. Thomasij Porcaccij librum de insulis, & Gonzalis Mendosæ Sinarum Historiam part.2.lib.3.cap.3.

CAPVT XII.

Cubæ insulæ descriptio.

Cubæ situs.

CVBA ex maioribus occidentis insulis, ab oriente ad Occidentem solem vergit haud secus atque Hispaniola, cui ab oriente contigua est. Occidens Iucatanas terras, Mexicanum, & Cuastacum fretum despectat; Septentrio cancri tropicum contingit. Meridies Iamaicam ac inde terram firmam Indicam, quantumnis longo satis interuallo, respicit. In longitudine maior est Hispaniola, latitudo non respondet, sed tamen quà maxima est, Hispaniolæ latitudinē penè æquat. In insulæ circuitu multi passim scopuli nauigantibus formidabiles cernuntur: nam à Septentrione ingens Charybdis vrget, aquarum incertis vorticibus metuenda, & Australe latus qua Iamaicam aut Iucatanum littus spectat, Iardinorum scopulis infestatur. Columbus hanc insula secunda sua nauigatione, Iohannam nominauit, sed ab incolis Cubam vocari intellexit: postea iussu regis Ferdinandi (cuius auspicijs detecta erat

erat) Ferdinandinæ nomen tulit. Sunt qui A. & O. vocatam dicant, sed hoc nusquam deprehendi: Portui sanè à Colnmbo huiuscemodi nomen inditum, testantur genuini illius temporis scriptores. Regio montibus aspera, & syluis horrida, sed fluminibus irrigua, dulcibus salsisque stagnis frequens, vnde hic quoque salis copia: est & auraria, nam & montes affatim auri præbent generosis secturis, & flumina aureis passim arenis fluunt. Sex vrbibus habitatur, quarum metropolis Sancti Iacobi colonia flumine portuque insignis, reliquæ ciuitates parum habitatę perhibentur. Miraculo est conuallis quindecim passuum millibus à Sancti Iacobi fano distans, ingentibus saxeisque globis repleta, ita ludente natura ac si mancipiorum opera eo conuecti essent. Vlterius orientem versus progrediendo, apud portũ Principis, fons bituminosus assidue picem euomit. Serpentes, quorum hic ingẽtium copia, in delitijs olim fuisse memorãtur. Incolę, quo tempore insula detecta fuit, nudi incedebant, sicut in Hispaniola, & vt vno verbo concludã, omnia naturalia atq; exotica ibi reperiuntur aut crescũt, quę in Hispaniola proueniunt. Ipsa gẽs naturæ benignitate cõtenta, neque meũ neq; tuum aut exitialem pecuniam nouerat, sed omnia in communi possidebat, sicuti solem & aquã natura ex æquo omnibus largitur: apertis itaq; viuebant hortis, & sine legibus suapte natura rectum colebant, tantum euangelij lumine destituebantur, quod nunc illis diuina benignitate illuxit.

Vrbes Cuba.

CAP.

CAPVT XIII.

Iamaicæ, nunc S. Iacobi insulæ descriptio.

Iamaicæ descriptio.

IAMAICA, quam nunc Sancti Iacobi insulam nuncupant, inter decimum septimum & octauum latitudinis gradū posita, ab oriente Hispaniolæ, à septentrione Cubæ vicina est. Meridies Sancti Bernardi insulas, & Cartagenam respicit, occidens Iucatanas terras, seu Fonduram versus fertur. Iamaica quinquaginta milliaria in longum protenditur. Regio fertilis est, grata aeris salubritate, & armentorum prouentu, quem viridantium herbarum limpidissimorumque fontium promouet vsus. Auraria quoque esse perhibetur. Gens lege, ritu, moribusque in nullo ab Hispaniolensibus, Cubensibusque discrepat, tantum ferociores fuisse memorantur. Frequens olim cultoribus erat, nunc incolis aut ferro aut mortalitate absumptis, rarius culta, duabus tamen ciuitatibus habitatur; quarum primaria Siuiglia, siue Hispalis, in qua Ecclesia cum Abbatiali dignitate, vbi primatum gessit Petrus Martyr Anglerius Mediolanensis, vir in tractandis Indicis rebus diligens. In ipso Insulæ meditullio mons est, sed sensim omnem in partem ita sese inclinat, vt exscensum facientibus, terræ superficies plana appareat. Hanc insulam Columbus secunda nauigatione detexit, cumque vltima sua nauigatione, conuersis velis huc delatus esset, desciscentibus à sua authoritate militibus, primum hic ciuile bellum, prima hic

agmina

agmina in sua viscera sæuientium, occidentales viderunt. Didacus Columbi filius, anno millesimo quingentesimo nono, insulanos rebellantes subegit, & Iamaicam coronæ Hispaniæ stipendiariam tributariamque reddidit,

CAPVT XIIII.

Iucatanæ regionis descriptio.

IVCATANVM littus vndique vastis pene cinctum fluctibus, à primis detectoribus insula reputabatur; Franciscus Ferdinandi Cordubensis. tribus carauellis anno à partu virgineo M.CCCCC.XVII. male sano ausu, has terras adijt, diuitiarum tantum famam, & euidentia crudelitatis signa referens. Didacus Velasqueus audita relatione Francisci Ferdinandi, anno sequenti Iohannem Griäluum cum quatuor carauellis, certiora de Iucatana regione exploratum misit. is ex portu Cubensi ad Cozumellam, siue Sanctæ Crucis insulam, hinc Campechium. alij S. Lazari oppidum vocant. deinde Campatonum delatus, totam Iucatanam peninsulam ab ea parte lustrauit, Tauascum vsque peruenit, Hispaniæque nouæ terminos attigit & detexit. Oppida illis in partibus in morem nostrum ædificata, turritas domos, templa magnifica, vias plateasque ordine stratas, sese conspexisse retulit. Ingens laborati auri pondus promiscuis permutationibus pro sericis laneisque vestibus, vitreis calculis, ac tintinabulis consequutus est Grialuus.

Specula

Specula nostratium parui faciebant, quia lucidiora ex quodam marmoris genere ipsi haberent. Orientalem huius terræ partem tuetur insula Acusamilla siue Cozumella, quam Sanctæ Crucis vocant, propterea quod eo ipso die quo ecclesia salutiferæ crucis inuentionem anniuersaria solemnitate ouans concelebrat, Grialuus ad Acusamillam insulam delatus esset. Modico interuallo a continente abest, patet in circuitu ad octo mille passus: summa hic aquæ penuria, melle abundant, ceræ tamen vsum incolæ ignorabant. In secreta abditaque huius insulæ parte, inuentum est templum quadrato lapide constructum, multa religione celebre, in cuius meditullio crux visebatur decem palmos alta, quam incolæ adorabant, conceptisque votis pluuias petebant, quas hac adoratione consequi & obtinere sese posse credebant: quæ res faciliores illos postea reddidit ad suscipienda Christiana sacra. Vnde tamen hic adorandæ crucis ritus processerit aut promanarit, plane incertum est. Petrus Martyr Anglerius Mediolanensis refert, incolas à maioribus suis accepisse, quondam per has terras virum sole lucidiorem pertransisse, qui in cruce passus fuerit, eaque de caussa crucis memoriam semper illis venerandam fuisse. Huius insulæ & Iucatanæ terræ habitatores, ijsdem vtuntur moribus: bellicosi sunt, & propugnatores egregij habentur, primosque in terram egredi ausos male mulctarunt. arma sunt lancea, gladius, arcus, & sagittæ in prælium euntes, galeas ligneas, thoracesque ex gossipio habent, in pace nudi & sine armis passim inceduut: captos in bello dijs suis crudeliter

Crux apud Indos.

deliter

deliter immolabant, à carnibus tamen oblatorum abstinebant. deficientibus captiuis aut noxijs in causam sacrificij, pueros puellasque à finitimis, permutationibus comparabant. Totus huius terræ tractus auro gemmisque abundat. Crialuus in piscatorio lembo siue Canoa nouem piscatores aureis hamis piscantes deprehendit, & auream cataphracti equitis integram armaturam à Pontonchano rege habuit; multaque alia preciosa hac nauigatione permutationibus consequutus est, quæ mei instituti non est hic prolixius prosequi.

CAPVT XV.

Fonduræ siue Honduræ descriptio.

IVCATANIS vicinior est Fondura, media inter Iucatanam & Nicaraguam. Regio fertilis est omniumque ad vitam humanam spectantium abundantissima. Ceræ hic & mellis perinde atque apud Iucatanos copia ingens. Aurum & argentum in nullo vsu aut honore erat, abundat alioqui regio auri fodinis, sed nemini effodiendi cura erat. Mexicanorum moribus, vitæque fere institutis vtebantur, sed Nicaraguensium superstitionem & idololatriam sequebantur, quæ postmodum aduentu Hispanorum, & Catholicæ fidei professione antiquata est. Trugillum coloniam huc deduxit Franciscus Casanus, anno millesimo quingentesimo vigesimo quinto, nomine ductuque Ferdinandi Cortesij. Sed Columbus

Trugillum oppidum.

anno millesimo quingentesimo secundo prius totum hoc Fonduræ latus quarta sua nauigatione ad Nominis vsque Dei portum detexerat, quærens Peruuij alicuius freti angustias, per quas ad vltimum orientem nauigari posset, sed irrito conatu. Hispaniam deinde repetens, mox fatis concessit.

CAPVT XVI.

Nicaraguæ descriptio.

NICARAGVA à Septentrione Fondura clauditur, in meridie Inferi siue Pacifici maris vndis alluitur, ab ortu septentrionalis oceani fluctibus pulsatur. Regio populosa ingentibusque arboribus perquam amœna, sed quæ ab aeris potius salubritate, quam diuite metallorum vena commendetur. Caput gentis est Legio & Granata. has Colonias Franciscus Ferdinandi deduxit. In medio regionis ingens lacus conspicitur multis vrbibus frequens, cuius fontes, vix octo aut decem passuum millibus ab occiduo seu infero mari distant, paulatimque versus ortnm sese protendens, in ingentem lacum multis insulis habitatum excrescit, ripis deinde conclusus, in mare septentrionale effunditur, sed ad instar maris Oceani æstuans, crescit atque decrescit. Mare hic impetuosum est, monstrisque marinis infestum, quæ cum vmbilicotenus extant, altissimarum nauium antennas æquant aut superant. Incolæ albi potius, quam ærei coloris sunt

ſunt,capillos & barbam abradunt,corpus expilant,cirro tantum capillitio in vertice retento, faciem fiſſuris deturpant.Fures raſos expilatoſque,ei cui furto nocitum eſt, in ſeruitutem dedunt,deditus,niſi mox ſeſe redimat, idolis immolandus hoſtia ducitur : nam & hic humanis hoſtijs litant,bellorumque in iſtis partibus vnica pene cauſa eſt,captiuorum conquiſitio,in regni expiationem.De antiquis Nicaraguenſiũ conſuetudinibus,nihil attinet dicere, quando erectis paſſim cathedralibus eccleſijs Chriſtianam religionem ſuſceperint. Ipſe rex Nicaragua (à quo prouinciæ nomen manſit)cum vxore & liberis vniuerſaque aula, ac plus quam nouem ſubditorum millibus vno tempore ſacro baptiſmatis fonte abluti ſunt.Hoc tamen memorabile apud Nicaraguos inueni,quod duplici olim ſacrificorum ordine,ſuperſtitiones ſuas paragebant,quorum vnus ſacrificiorum ſuperſtitioni, alter confitentium expiationi miro ſilentio operam dabat:reſeraſſe aut protuliſſe aliquid ex auditis detectiſque peccatis,piaculum ducebant morte puniendum.A recepta fide Catholica nihil grauius tulere, quam vetuſtam & receptum ſacrificiorum morem aboleri, ſublatis quippe humanis hoſtijs, omnem penitus belli cauſam ſublatam,elangueſcenteque animi robore, arma ſua rubigine obduci querebantur,& bellatrices manus aratro alligari.

Sacrificia apud Nicaraguas.

CAPVT XVII.

Hispaniola Nouæ descriptionem continens.

HISPANIA Noua magnis terrarum ſpatijs diſiecta, à Tauaſco, ſiue Grialui flumine occidentem verſus excurrens, ad Sancti Michaelis & Culiacanas vſque terras protenditur. Septentrio finitur Granata Noua, alijſque regionibus, Noui Mexicani regni nomine nunc ſignatis. Auſtrale littus pacifici maris vndis abluitur. Occidentalem, ſeu mauis, Nouam, aut vt alij, Magnam hanc Hiſpaniam, fortuna Iohannis Grialu i, Ferdinandi deinde Corteſij viuida virtus aperuit, quando capto ſubactoque Motezuma potentiſſimo harum terrarum Principe, deuictiſque rebellibus poſtmodum Mexicanis, totam prouinciam peruagatus, Hiſpanici illam iuris fecit. Comprehenduntur hoc Hiſpaniæ Nouæ nomine, præter Guatimalam, Guaſtacana, Mexicana, Mechuacana, Galicia noua, aliæque prouinciæ, quæ omnes inter æquinoctialem, & Cancri tropicum pene concluduntur, ideoque dierum noctiumque exigua hic diſcrimina & perpetuũ pene ver. Menſibus Iunio, Iulio, Auguſto, atque Septembri aſſiduæ pluuiæ, leniumque ventorum ab vtroque mari commodiſſimi flatus, diurnos, æſtiuoſque calores diſijciunt ac temperant, quæ vera eſt ratio cur iſtic ſub tropico æſtiuo commode habitetur, contra antiquorum philoſophorum opinionem. Sed vt cætera tranſeam, miraculo eſt

Cur ſub tropicis commode habitetur.

Themi-

Themiſtitanæ vrbis ſitus & magnitudo, quæ Venetæ vrbis in morem, vndique pernauigabilis, ſita eſt in conualle Mexicanæ prouinciæ, vnde poſtea frequentioribus calculis, ciuitati nomen manſit. Vallis hęc, aſperrimis altiſſimiſque vndique pene concluſa montibus, ad ſexaginta milliaria, aut CC.LXXX. Italica, in circuitu patet. Solem inter orientem & Septentrionem, euaneſcentibus montium anfractibus, planior eſt regio. In radicibus montium ingens lacus naſcitur. pars illa quæ montium radicibus propior eſt, vſibus humanis conueniens, dulces hauſtus præſtat, ad humanæ neceſſitatis leuamen, perpetuis quondam riuulis aquæductibusque per totam vrbem diductis: ſed alia, quæ maior pars eſt, prorſus ſalſa decurrit, & in morem Oceani æſtuat, incrementaque ac decrementa maris ſentit aut imitatur. In hoc ſalſo lacu ſita eſt Themiſtitana ſiue Mexicana ciuitas, non quidem in ipſius lacus medio, ſed qua terris propinquat. In ripis vtriuſque lacus, multæ ac magnæ ciuitates numerantur. Inter ſalſum dulcemque lacum in ipſo introitu, Mexicalcingo conſpicitur. Mexicana ciuitas tribus paſſuum millibus, hoc eſt, duodecim Italicis milliaribus, in circuitu patere perhibetur. Ex orientis latere non niſi nauigijs, vniligneiſque Canois ad vrbē iter patet, alijs tribus partibus continenti iungitur, peramplis atque longinquis ſtratis vijs ſiue pontibus. Via quæ ex Mexicalcingo ducit, ad octo, alij, ad milliaria ſex Italica patet, breuiſſimo vnius milliaris Italici ſpatio à continente abeſt. Viæ iſtæ tanquam ad Lesbiam regulam ductæ, ad medium vſque ciuitatis penetrabant,

Mexicana vrbis ſitus

vbi forum væналium amplis porticibus circumseptum, quod magna coeuntium vndique ciuium frequentia celebratur, quando assiduo mercimonij genere, indies vltra triginta ementium vendentiumque millia eo confluant, dispositis miro ordine tabernis, singulis mercatorum collegijs, stationibus discretis: nam & qui aurum factum infectumve, qui gemmas, specula, qui auium plumas, qui pannos, vestimentaque, qui panem, aut frumentum, quique alia ad victũ corporisque sustentationem, vel gazam, & ea quæ in æstimatione regia sunt, vænalia proponebant, stationibus distinguebantur: neque promiscue, & confuso, vt apud nos, ordine cuiquam prostare permittebat, Medio in foro domus perampla erat, decemvirorum statio, qui incidentes fori contentiones dirimebant, maleficosque legum rigore puniebant. Innumera hic conspiciebantur templa, ipsi Meschitas vocant, vbi suo more idolis litabant. Inter cætera vnum maius, cuius area tantæ erat capacitatis, vt designando amplissimo castro sufficeret, circuitus perpetuo muro, & quadraginta altissimis turribus claudebatur, in his regum principumque sepulturæ, singulis capellis distinctæ. Sacrificijs humanis indulgebant, impurisque suis idolis singulis annis plusquam viginti puerorum millia ferali ritu immolabant. Incolæ egregij mechanicorum operum magistri, & industrij habentur. Mulierum quoque multitudine gaudebant, inter multas tamen vna erat præcipua, cuius filij parentibus succedebant, reliquæ pellicum loco, earumque filij spurij aut naturales habebantur. Sed incolis postmodum ad Christianam fidẽ perductis, immanes istæ & truculentæ consuetudines

Forum Mexicana vrbs.

dines relictæ,& virtute euangelici verbi,humanitas & beneuolentia succeſſere.Corteſius deuictis rebellibus Mexicanis, receptam & euaſtatam ciuitatem,de nouo reſtaurauit,conceſsis vectigalium, hoſpitumque recipiendorum immunitatibus:ſed vrbem ad continentis littus tranſtulit, obturatoſque ac interciſos bellicis motibus aquæductus clauſos tenuit: ſic vt iam alia Mexicanæ ciuitatis ſit forma, quã ſub Motezuma fuerat.Mexicana porro ciuitas Archiepiſcopali ſede conſpicua eſt. Antonius Mendoza hic quoque vniuerſale ſtudium erexit;vocatis inuitatiſque honeſtis ſtipendijs ex Hiſpania profeſſoribus.Pietate Philippi regis anno M.CCCCC. LXXVII. in hac vrbe, inſtitutum,donatumque eſt Patrum Societatis Ieſu collegium. Gazoni Mechuacanæ prouinciæ rex, audito Themiſtitanæ vrbis excidio, miſsis legatis ſe ſuaque Carolo Imperatori dedidit.Mechuacana regio, Occidentalis magis eſt, quam Mexicana terra Auri argentique fodinis diues perinde atque Mexicana regio. Caput gentis Cincila,ſita in radice montis propter ingentem lacum. Regio paludibus frequons, quibuſdam etiam calidis aquis fluentibus, ad thermarum vſum. Aer regionis temperatus & ſalutaris,frumento, noſtriſque fructibus conueniens, cera,goſſip io atque ſalinis abundat. Ambræ nigræ hic quoque prouentus. Incolæ pulchriores ſpectabilioreſque,quam alia vlla vicina in prouincia reputantut. Hiſpani colonis prouinciam auxere, inuectiſque atque plantatis moris, bombicum peculiari cura, ſerici commercia inſtituere. S. Sebaſtiani fluuius, per ſexaginta milliaria intra terram prolapſus, cuni-

Mechuacana regio

culo cursus erumpit, & Borneo lacui miscetur, solemque occidentem sequutus, in Atlanticum oceanum tandem euoluitur. Coloniam hic vnam Hispani, Sancti Michaelis deduxerunt. Reliqua prouincia, plurimis sed exiguis barbarorum vicis habitatur. Regio argenti fodinis abundat. Incolæ secundum maris littus, vt plurimum ichthyophagi, reliqui siluestres & ipsi, in syluis feras consectantur. Nunnus Gusmanus, totum hoc Galliciæ littus detexit. Compostellam & Guadalajaram fundauit, Compostellæ nomen imposuit, vt hæc regio sicuti asperitate montium Galliciæ orientali assimulatur, ita eiusdem quoque nominis ciuitatem haberet. Guadalajaram à patriæ suæ nomine vocauit, cum antea Tonalla diceretur. præter has, Sancti & Conceptionis ciuitates fundauit, & Sancti Michaelis, cuius superius meminimus, in Culiacana proníncia, coloniam deduxit.

S. Michaelis Colonia

CAPVT XVIII.

Granatæ Nouæ descriptio.

HIspaniam & Galliciam Nouam ponè sequitur Zuny siue Ceuola, quam Nouam Granatam vocant. Anno à nato Christo M.CCCCC.XXXVIII. pacata noua Hispania, viri aliquot religiosi zelo propagandi diuini cultus, ad vlteriores populos penetrarunt, quorum habitatio nondum

Granata noua detectio.

nondum fuerat detecta. Inter hos frater Marcus Nizzensis, instituti diui Francisci, Culiacanam prouinciam adijt, inde cum itineris duce & interprete, inter Occidentem & Septentrionem tendens, plurium dierum itinere, plusquam tercentum passuum millibus peragratis, multa in reditu de Ceuola & patria Septem Ciuitatum referebat. Cumque regiones ibi populis frequentes, auri vena, cyani lapilli, quem Turchinum vocant, prouentu nobiles, pecore & lana abundare testaretur, tantum effecit, vt Cortesium, tū maris Australis præfectum, & Antonium Mendozam, regni Mexicani præsidem, detegendi has oras cupido caperet. Mendoza euocatum Petrum Aluaradum, Guatimalæ præfectum, mox illo è viuis sublato, Franciscum Vasquium Coronatum cum CCCC. equitibus, & iusto peditum Hispanorum, & Indianorum exercitu misit. In itinere multo frigore gelidisque pene niuibus confecti, equos plurimos amisere, multi Indianorum fame periere. Habitatores, Hispanis pacem petentibus, nihil pacati respondebant, bellandi potius causa quam pacis benevolentiæque (quam præstari cupiebant) armatos, fines suos intrasse querebantur. Desperata pace, Hispani ciuitatem oppugnauere, strenue defendentibus & propugnantibus oppidanis, sed tandem deserto oppido fuga sibi consuluere. Vacuam ciuitatem nacti Hispani, Granatam appellarunt, manetque in hodiernum diem Nouæ Granatæ nomen. Ciuitas ducentis plus minus ædibus constabat, domus ligneæ sunt, sed quatuor aut quinque contignationibus euectæ, solent & subterraneos specus aperire iniecto multo fimo, suffu-

gium hyemi, quia rigorem frigorum eiusmodi locis molliunt. Temperatura climatis frigidior est, quantumuis ab æquinoctio XXVII. gradibus absit, propter montium asperitatem & præiacentes niues. Maizium tamen fœliciter crescit, pellibus abundant, ex quibus vestes ocreasque conficiunt. Mulieres crines funiculis nostrum in morem intertextis capiti aptant, breuibus amictibus velantur, cætera intectæ. Regio alioqui sterilis, arenis impedita, & exigui prouentus. Septem ciuitatum prouinciam, quam Marcus Nizzensis tantopere extulerat, Coronatus vix quadringentis incolis habitari comperit, pro diuitijs quas animo præceperat, tantum niuium hic abundantiam, famem, rerumque omnium indigentiam inueniens, detestatus infaustum iter, Quiuiræ terris successit, si melior lætiorque ibi fortuna occurreret, sed infœlici successu, vt mox dicemus.

CAPVT XIX.

Californiæ descriptio.

GRANATAE ad occidentem adiacet California, freto tantum, quod à meridie influit separata. Sinus iste ad CC. XXX. miliaria Italica terris infertur, haud aliter atque sinus Arabicus, aut Rubrum mare, quod Asiam ab Africa disterminat, ad cuius similitudinem in re pene pari, primi huius terræ detectores, hoc quoque fretum, Rubrum mare vocarunt: quidam quia mari Hadriatico, quod

Mare Rubrum occidentum.

quod Italiam inter & Illyricum fluit, haud absimile sit, Hadriaticum quoque dixere, quibus ego tanto libentius assentior quanto Californiæ sinus, Italiæ similior est. Sequitur longo terrarum spatio Deceptionis promontorium, vnde quibusdam visum erat, pedibus ad Sinarum regiones, & Tartariam per vltimum occidentem iter patere: sed experientia contrarium docuit. Tota hæc terræ pars frigida, & parum habitata. Granatensium pene mores vitæque rationem Californienses sequuntur,

Deceptionis promōtorium.

CAPVT XX.

Quiuiræ & Anian descriptio.

AD vltimum vsque Occidentis limitem pertingunt Quiuira & Anian, cœli inclementia, & multa paupertate penuriaque cognitæ. Aniani regni fines Boream versus excurrentes, arctico circulo subijciuntur, & nisi oceani æstus impediat, Orientalibus Tartarorum Sinarumque terris coniungerentur. Anianæ istæ angustiæ per septentriones intra arcticum circulum ad Groenlandiam, Islandiam, Angliam, nostrumq; septentrionem ducunt. Hoc itinere, quibusdam placet, Indianos olim abreptos tempestatibus, in Sueuorũ & Germaniæ littora peruenisse, quos à Sueuorũ rege, Quinto Metelso Celeri, Galliæ tum proconsuli, dono datos esse testãtur. Hãc viã tentauit Martin. Forbisserus anno M.CCCCC.LXX. querens

rens expeditum ad Cathaios iter, magna vbique diuitis harum terrarum venæ aureæ fama, quam tamen fefelliſſe, tertia Forbiſſeri nauigatione, magno nimium credulorum quorundam mercatorum damno relatum eſt. Sed Quiuira hactenus paucis tantum littoribus cognita, extra omnem nauigationis curſum ſita eſt. Vaſquij Coronati milites, cum in Ceuola nullum auri veſtigium reperiſſent, ne vacuis manibus Mexicanas terras repeterent, fortunam tentare, & vlterius progredi ſtatuebant, ſi qua vſquam benignior ſeſe fortuna offerret. in quam ſpem à nonnullis accenſi ſunt, cum Tichuico Tiguexam veniſſent. illic enim Quiuiræ fama à quibuſdam in maius celebrata, credulis (quia ita cuperent) militibus perſuaſum eſt, Tatarraxum regem potentiſſimum in Quiuira longe lateque rerum potiri, ſalutiferæque Crucis & diuæ Virginis memoriam venerari: lætis militibus, quod tot terrarum ſpatia emenſis, aliqua melioris fortunæ ſpes affulſiſſet. Continuatis itaque itineribus Cicuicam, mox Quiuiram peruenere. Cicuica, XXI. gradibus aut CC XX. pene æquinoctialibus paſſuum millibus à Quiuira abeſt. Totum hoc iter altis arenis impeditum, perpetua ſterilitate infame, neque lapidem, neque herbam, aut arborem pene centeſimo milliari habet. Vaccarum hic inſolitum genus, quarum copia commode inedia exempta, erectiſque ſtruibus, aut tumulis, ex illarum oſſibus cornibuſque, itineris incerta ſpatia tanquam in vaſto Oceano notabantur. In arenoſis hiſce deſertis oberrante Coronato, exorta ſubito grandine, lapides pluit oui anſerini magnitudine: huius rei nouitate Hiſpa-

Tatarraxus Quiuira rex.

ni mirum in modum consternati, ad lachrimas precesque versi, coelestem iram deprecabantur. Tandem Quiuiram deuentum, vbi Tatarraxum senem, pro quo tot tantosque labores exantlarant, nudum æneo monili seu emblemate (quæ tota ipsius erat gaza) ornatum inuenere. Milites, viso Tatarraxo. cum sua credulitate sese delusos senserunt, fastiditis propositis hybernis, nihil morati propere Tiguexam rediere. Quiuira quadraginta graduum habet altitudinem; secundum littus maris, regio satis pascua est, Vaccarum ingens copia, dorso incuruo, aut gibboso, ad instar camelorum, cuiusmodi vaccas Paulus Venetus libro primo capite xxii. in finibus Persidis sese vidisse testatur: harum carnibus vescuntur, panis vsum prorsus ignorant, gregatim, Arabum, Nomadumque in modum vagantur, vbi nox aut pascuorum commoditas illos oppresserit aut inuenerit, hærent aut considunt, captantes irriguorum pratorum commoditatem. Cæterum à iumentis istis præter victũ alia quoque incolis vitæ commoda obueniunt: nam pellibus mapalia sua contegunt, pellibus vestiuntur calceanturque, ex pellibus arcui neruos aptant, ex ossibus subulas, ex neruis fila, è cornibus tubas aptant, vesicis vitulorumque pellibus aquam colligunt & conseruant: vnius denique huius animantis exuuiæ, ad instar gazę, in summa omnium penuria abunde illis satisfaciunt. Ingentes quoque instar leonum nutriunt canes, quorum opera in transmigrationibus, iumentorum loco vtuntur. Visitur hic quoque animal quod equi similitudinem habet, longo à fronte prominente cornu, forte hactenus rarius

Quiuira situs.

visi

visi vnicornes. quales ex omni memoria Ludouicus Romanus duos intra Mechæ septa sese vidisse refert ex AEthiopia allatos. Est hoc animal, vt idem refert lib. 1. capit. 19. coloris equi mustellini, capite ad instar cerui collo non oblongo, rarissimisque iubis, in altera solum parte dependentibus, tibijs præterea tenuibus atque gracilibus, hinnuli instar vngulæ anteriorum pedum bifidæ, caprinos pedes referunt, crurum posteriorum pars exterior villosa pilique plurimi; animal efferum videtur, ferociam (vt idem inquit) aliqua comitate leniente. Aloisius Cadamustus, nauigationis suæ capite quinquagesimo refert ex captiuis Nigritis ad caput seu promontorium de Montedegentibus, principi Lusitaniæ relatum fuisse, in patria illorum vnicornes viuos reperiri, hactenus tamen nihil à quoquam certius relatum. Vero similius est syluestres esse equos, qualium assidua venatio in Armeniæ montibus esse perhibetur. quod si hæc occidentalis fera ex vnicornium numero foret, magno sæpius operæ precio neglecta hactenus Quiuirensis, aut Aniana peregrinatio nauigatioque frequentata foret. Et ne Dracus quidem ex noua sua Albione (nam sic Quiuiram indigetauit) simile quidpiam retulit, sed detestatus frigore horrentes terras, cum in latitudine tantum quadraginta duorum graduum essent, die quinta mensis Iunij conuersis velis ad Austrum, cursum direxit.

Vnicornis descriptio.

CAP.

CAPVT XXI.

Conibas regionis descriptio.

EX occidente orientem repetendo, vsque ad Canadensium & Nouæ Franciæ fines, occurrit Conibas regio, variæque nationes supra Floridam & Hispaniam Nouam degentes, quarum quidem clima in frigiditate & perpetuo gelu, cum Quiuira & Aniani regni finibus certat, nominibus tantum inter sese discrepant. Sunt Auanares, Alabardi, Calicui, Tagiles, Capasci, & sexcenta alia nomina, ipso pene timenda sono. Vno verbo dicam, nationes feræ indomitæ, & sine lege, continuis inter se bellis conflictantur, in auijs montanisque locis geniti & educati, pernici cursu plurimum valent, aeripedemque ceruum cursu præuertere creduntur. Sed Auanares Indianorum callidissimi, præter Americanorum omnium consuetudinem, stratagemate grassantur, nocturnisque ac subitis incursionibus, hostes quantumuis longinquis ex partibus, adoriuntur, ingentiaque terrarum spatia emensi, semisopitos trucidant, aut captiuos abducunt. Cæterum omnes in summa religionis ignorantia versantur, Satanicisq; illusionib. vexationibusq; ante Christianorum aduentum, referente Aluaro Nunnio, incredibiliter diuexabãtur. Ad feras hasce gentes penetrarũt, Aluarus Nunnius, Capeza de Vacca, Andreas Doranies, Alphonsus

Auanares nocturnis excursionibus grassantur.

Castillanus

Castillanus,& Stephanus Azamorus,ex reliquijs infelicis Pamphili Naruezij,qui ſpatio nouem annorum,nudi,famelici,omniumque egeni, has regiones peragrarunt,ſeu potius pererarunt, vbi curationibus infirmantium operã dediſſe,diuinituſque gratia curationum donati,mortuum in nomini Domini ſuſcitaſſe feruntur, eoque grata apud hoſce populos illorũ eſt memoria. Nunc omnes hæ regiones quaſque præcedentibus duobus capitibus deſcripſimus,Nouæ Mexicanæ prouinciæ nomine ſignantur,quam Antonius Eſpeius Cordubenſis anno M.CCCCC. LXXXIII.denuo aperuit aut detexit. Recenſentur quindecim prouinciæ, ſed nominibus diſcrepantes à priorum detectorum ſcriptorumq; nomenclaturis.Qua de re,ne longior ſim ,conſulenda Reuerendi Patris Iohannis Gonzalis Relatio regni Chinę,part.2.libr.1.cap.7.8.9.& 10.nunc nihil repetam.

CAPVT XXI.

Virgineæ deſcriptio.

CHRISTOPHORI Columbi, comitumque expeditionis fama, & multiplex Indicarum opum in Hiſpaniam relatum ſpecimen,totum repente terrarum orbem peruaſerat,& in aula Henrici Anglorum regis ſeptimi omnium animos in rerum ingentium ſpem, & eiuſdem itineris cupiditatem erexerat.Celebrabatur Columbi ingeniũ & ſingularis animi conſtantia, iamque regem

tædebat

tædebat intempeſtiuæ repulſæ, oblatamque à Columbis fratribus fortunam è manibus elapſam, tacitus indignabatur. In nouarum tamen terrarum ſpem erectus, deductis celeriter ornatiſque omnibus rebus duabus nauibus, Sebaſtianum Gabotum ingentibus promiſſis oneratum, quamlongiſſime prouehi, & fretum aliquod peruium inquirere iuſſit, quod ad Cathaios Orientis populos, compendio duceret. Anno itaque milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſexto, Gabotus ex Anglia ſoluens Cathaium verſus iter inſtituit, ſed ab inſtituto curſu aberrans, ad ſeptentriones ſeſe delatum ſenſit, propoſitũ nihilominus iter perſequebatur, quærens aliquem maris ſinum qui inter Occaſum & Boream ſeſe conuerteret, & ad Orientem penetraret. ſed cum poſt multorum dierum nauigationem littora verſus ortum inclinare ſentiret, repetito curſu ad æquinoctialem deſcendit, ſi forte ab illa parte intercurſante mari pateret tellus aditumque ad Orientem præſtaret. In hoc propoſito nauigans, delatus eſt ad terram, quæ jam Florida dicitur, vbi ſubſtitit, irritoque conatu conuerſis velis in Angliam redijt. Hac tamen nauigatione tantam rei maritimæ exiſtimationem conſequutus eſt, vt ſuccedentibus temporibus à Ferdinando & Iſabella ad Braſiliæ maritimam oram luſtrandam miſſus, etiam Argentei fluminis portum primus ſubiuerit. Sic primum detecta fuit Florida, nullo tamen nomine ſignata. Poſtea Ioannes Pontius Legionenſis, præfectus inſulæ Borichenæ ſiue Iohannis de portu Diuite, Principalibus codicillis Bimini præfectus & Adelantadus illius oræ renunciatus,

Sebaſt. Gabotus.

ſubducta claſſe, cum terram attigiſſet, arcemque aut oppidum in continente moliretur, ſubitanea incolarum irruptione oppreſſus, amiſſis pene omnibus ſocijs, ex vulnere breui poſt tempore in Ferdinandina iuſula mortuus eſt, totuſque ille apparatus intercidit, prouinciaque inuentori ſuo exitioſa, inexplorata relinquebatur. Retinuit tamen Floridæ nomen quod à Pontio acceperat, cum ipſo Palmarum die in terram exſcenſionem feciſſet, teſte Petro Martyre: alij contradicendi ſtudio alio referunt nominis originem, nempe quod tota viridis floridaque ſit, ſtratis etiam vndis viridantibus herbis, ſed penes authorem ſit huius rationis fides, cum nuſquam ab alijs conſonantia tradantur. Manſit ad tempus prouincia intacta, nemine ſibi illam depoſcente, propter inhabitantum ferociam. Procedente deinde tempore, Ferdinandus Sottus, deuicto Atabalipa Peruanis ſpolijs auctus, maiora animo voluens, Præfecturam hanc a Carolo Imperatore obtinuit, multiſq; veteranis militibus ſcriptis, Floridam adnauigauit anno trigeſimoquarto ſupramilleſimum quingenteſimum; ſed aurarijs nimium inueſtigandis intentus, nulla cura vrbis deducendæ condendæque, dum per prouinciam vagatur, non inuentis quas crediderat, auri ſecturis, mœrore confectus interijt, milites ſocijque paſſim à barbaris cæſi & diſcerpti ſunt. Præcedentibus temporibus ab indigenis Iaquaza dicta eſt. Circumſcribitur hæc prouincia latiſſimis finibus, ab ortu Bahamam & Leucayas inſulas habet, in occidente Mexicanæ prouinciæ terminos attingit, à meridie Cubam & Iucatanas terras reſpicit, excurrens in

Ferdinandus Sottus

modum

nodum Isthmi ad centum passuum millia, qua-
que angustissima est, triginta milliarium latitu-
inem occupat; in septentrione supra Floridam
unt Canada, Virginia, Auanares, & Noua Fran-
ia. Regio in vniuersum plurimis riuis flumini-
usque irrigua, eoque humidior & in maritimis
ocis arenosa, vadisque metuenda. Incolæ colore
unt æneo, quem certa inunctione solis ardore
ontrahunt, cum tamen recenter nati, satis albi
nt. Ingenio vere vafro sunt ac subdolo, ad bel-
um & vindictam proni. Arma sunt arcus, sagit-
æ veneno armantur, venationi & piscationi-
us mirum in modum indulgent. Reges conti-
uis bellis in mutuam perniciem sæuiunt. Mag-
a illis annonæ cura, Maizium Martio & Iunio
erunt, tertio dehinc mense maturum colligunt,
t in publica horrea recondunt, mox singulis
ro cuiusque necessitate & dignitate distri-
uunt. Ingens hic Crocodilorum copia, cum
uibus assidue belligerantur, & tanquam aduer-
us armatos vndique circumfusos hostes, in per-
etuo metu excubijs vigilijsque sese tuentur. In
nnonæ penuria serpentes, araneas, aliasque for-
es deglutiunt, sicuti & Auanares eorum vicini.
Abundat regio Hermaphroditis, quorum serui-
i opera mancipiorum iumentorumque loco
tuntur. Animarum immortalitatē credunt, cæ-
era idololatræ. Regio varijs fructibus beata est,
arioque genere animalium, volatiliumque ab-
ndat, auri & argenti inter illos commercia, &
n montibus Apalchicis ingentes riui oriuntur
uri argentiq; arenas prouoluentes, quas incolæ
ipis per fossas diductis, colligunt, & secundo

Annonæ cura.

flumine ad maris littora venales deferunt. Post infaustas & funestas Pontij, & Sotti nauigationes, Iulianus Samanus, & Petrus Ahumadus Prouinciæ huius præfecturam deposcebant, sed Carolo Imperatori, Indicoque senatui consultius visum est, religionis & pietatis opinione rudes agrestium & ferocium hominum animos emollire, quando Ferdinandus Sottus insolenter sua potestate abusus, oppressione & seruitute incolarum exitium sibi procurasse, gentemque per se ferocem ad arma concitasse ferebatur. Indici itaque Senatus decreto, anno à nato Christo M.CCCCC. XLIX. eo missus est Frater Ludouicus Baluastrius, ordinis Sancti Benedicti cum quatuor religiosis. Is Floridam adnauigans, euangeliumque pacis nuncians, confestim à barbaris cum duobus socijs crudeliter discerptus perijt. interemptorum cutem detractam compertum est barbaros in templorum suorum foribus, ad æternam rei memoriam suspendisse: hoc spectaculo reliqui conterriti ad mare ocius fugerunt, velisque sublatis Hispaniam repetiuerunt. Succedentibus temporibus, Galli, tempore Caroli Noni, duce Iohanne Ribaldo, Floridam versus enauigarunt, extructo ibidem propugnaculo. Improspere tamen hæc illis cessit nauigatio. nam animis discordes dum à suis sese neglectos putant, subitario opere nauem extruxere, vt in Galliam repedarent, sed in itinere tam diræ atque efferæ famis necessitatibus subacti sunt, vt proiecta sorte vnum ex suis corripuerint, insanisque faucibus absumpserint. Alteram æque infaustam nauigationem duce Renato Landoniero susceperunt Galli anno M. CCCCC.

Horrenda famis ex-

CCCCC.LXII.extructa arce Carolina, ad fauces fluuij quem Galli Maij vocant, quod Maij Calendis primum ab illis conſpectus eſſet: ſed breui ab Hiſpanis occupata arce, captoque Ribaldo, qui ſecunda iſtuc nauigatione aduenerat, totus conatus Gallis luctuoſus fuit. Biennio poſt Dominicus Gourgueſius, priuatis impenſis comparata claſſicula trium nauium, cum centum quinquaginta militibus & octoginta nautis vltus Gallorum manes, Carolinam arcem recepit, euertit, ac ſolo æquauit. Sed in reditu cum à rege ſuo hoc factum iniquo animo accipi intelligeret, quieuit, neque vlla amplius Gallorum in Floridam expeditio memoratur, manſitque Hiſpanis vacua harum terrarum poſſeſſio.

Gourgueſii nauigatio.

CAPVT XXIV.

Virginiæ deſcriptio.

HVNC quoque maris terræque tractum, Hiſpanicis claſſibus enauigatum fuiſſe, littorum regionumque nomenclatura demonſtrat: nam Floridam emenſis, ſtatim Arenarum caput occurrit, ſiue de Arenis. Regio hæc ad Norombegæ vſque terras, Norombega ad Franciam vſque Nouam, & Baccalearum ſinus excurrit. Sed de qua agimus Virginia, extra communem nauigantium curſum ſita, rarius frequentabatur, & Anglorum demum nauigationibus innotuit.

Nomen à Viguino regulo, seu, vt mauult ill
qui Francisci Draci expeditionis anno M
CCCCC.LXXXV. ad occidentales Indias diari-
um aut commentarium edidit, ab Elisabetha
Angliæ Regina nomen tulit. Prima ad hunc pa-
rallelum VValteri Rallegi fuit nauigatio, plu-
res deinde succedentibus temporibus huc dire-
ctæ sunt, ducibus Richarho Greinuillio, & Ra-
dulpho Lauio, faustisque ominibus Anglorum
colonia hic coaluit. Sed anno M. CCCCC
LXXXVII. cum rerum omnium inopia preme-
rentur, eodem Lauio prouinciam deserente, co-
loni nauibus Francisci Draci, ex prædatione
Indica eo commeantis, in Angliam redierunt.
Horum relationibus Virginia aduerso rumore
laborare cœpit, detrectantibus plerisque colo-
nis redire, & in tam longinquam infaustamque
nauigationem nomina dare. Incolæ nudi ince-
dunt, cutem coloribus, puncturisque inficiunt,
aut deturpant. Verenda ferinis pellibus conte-
gunt, promissam capitis comam nutriunt, de-
pendentesque crines in nodum colligunt, sed
verticem ad instar cristæ gallinacei detondent,
quem oblonga versicolore pluma ornant. Assi-
duis venationibus feras insectantur. Arma sunt
arcus & sagittæ. Oppida exigua, decem aut duo-
decim ædium capacia: defixis humi palis, seu
palissadis, angusto aditu, in orbem ædificant,
templo principis, procerumque mansionibus, &
area, seu foro rerum venalium, domibusque in-
colarum, circumquaque in circuitu distinctis
affabreque collocatis. Gens æqui bonique te-
nax, iustitiam exercet, animæ immortalitatem
sentit, sed saltationibus assiduis, intempestiuis-

que

Anglorum nauigatio-nes.

que compotationibus ad instar aliorum Americanorum, intemperanter indulget, à carnibus tamē humanis abstinet. Sed de moribus & natura indigenarum, deque alijs Virginiæ commoditatibus aut mirabilibus plura ex descriptione Iohannis VVyts, & relatione Thomæ Harioti pręfati Rallegi domestici, per Theodorum Brium singulari libro descripta, & æneis formis incisa circumferuntur.

CAPVT XXIV.

Norombegæ descriptio.

VLterius septentrionem versus occurrit Norombega, ingenti fluuio oppidoque insignis, sed nulla alia re memorabilis. Vnde Norombegæ nomen regioni inditum sit, incertum est. A Barbaris Aggu ncia dicitur. In ipso fluminis introitu insula conspicitur piscationibus opportuna. Regio qua maritima est, piscibus, qua Nouam Franciam, & terram firmam contingit, venationibus frequens feris abundat. Norombegani Nouæ Franciæ ritus, & viuendi morem sequuntur. Gallorum naues hic quoque suas stationes habuisse, argumentum est Claudia insula.

CAPVT XXV.

Nouæ Franciæ descriptio.

TOTVS hic terræ tractus ad Baccaleorum vsque regionem, Chilagam, Hochalagam, Houguedam, aliasque regiones comprehendit. Nunc Francia Noua appellatur. Incolæ omnes communi nomine Canadenses vocantur. Britones & Normani anno a Christo nato M. CCCCC. IIII. has terras inuenere, dum asellorum marinorum piscationi intéderent. Postea Iohannes Verazanus auspicijs regis Galliæ, insulam & promontorium Britonum detexit. Mox captus, & a barbaris deuoratus, infœlicem exitum habuit. Iacobus Carterius postmodum totam hāc plagam perlustrauit. Sed Galli cum nulla auri vestigia deprehendissent, facile cœptam nauigationem intermisere. Incolæ colore albo sunt. Porro qua ad austrum vergit regio, eiusdem pene cum Gallia temperaturæ est, sed in Saguenaijs, alijsque septentrionalioribus, similisque eleuationis terris, perpetua hyeme riget tellus. Hochelagienses ad naturam in communi viuunt, nullam bonorum proprietatem agnoscentes, neque quidquam eorum curant, nisi quæ ad victum facilemque vitæ sustentationem facere intelligunt. Canadenses in perpetuo mercimonij vsu, assiduis peregrinationibus exercentur. Gaza horum populorum est albi Corallij species, quam Esurguy patria lingua vocant. Vlteriora versus Septentrionem inco-

Iacobus Carterius.

incognita hactenus permansere, propter immensi frigoris asperitatem. Tempora ad Lunæ rationem metiuntur, sicut & reliqui Americæ populi. Iaspis & Calsidonius lapis his terris reperitur. colligitur & adamãtis adulterini, seu cristalli quoddam genus, vulgis Mangonum, Canadenses, specioso nomine vocat. Auri hic nullus prouentus. Peculiaris hisce in terris morbus corpora humana infestat, contagio grassans haud aliter atque pestis, primum pedes & suras pertentat atque inflat, mox neruis horrido frigore constrictis, oris halitum tetro odore inficit, paulatimque ad vitales partes proserpens, breui tempore totum hominem miserabilibus modis enecat. Ameda arbor, nuci perquam similis, (alij Quahoiam vocant) sollicite prouidente natura præsentaneum huic malo remedium affert, eius decoctum ex aqua propinatum, spatio trium aut quatuor dierum plus profecerit, quam totius Orientis aromata, medicorum anxijs decretis trutinata. Ad extremum ingentis Hochelagæ fluminis tendentibus, Sancti Laurentij sinus, & dextra læuaque Baccalearum regio occurrit, è multitudine piscium ex genere asellorum sic dicta. Regio subitis terræ motibus, multa grandine perpetuisque tempestatibus infamis. Sebastianus Gabotus nomine Henrici Angliæ regis, hanc terræ partem primus detexit, anno à nato Christo M.CCCCC.VII. residuum Gaspar Corterealis Lusitanus, vt mox dicemus, aperuit. Vterque sui Regis nomine intercursantes vspiam illis in partibus freti angustias, compendio ad Moluccas sibi viam promittebat, sed nusquam respondente fortuna, irrito conatu domum remeantes,

Ameda arbor.

Baccalearum regio.

meantes, detectarum tantum à se terrrarum famam, & algentis climatis intolerandum frigus retulere. Similis plane fuit fortuna Stephani Gomesij naucleri, qui anno à naro Christo M. CCCCC. XXV. æmulus decoris Ferdinandi Magellani, cuius ante triennium comes sociusque fuerat, impetrata Cæsareo diplomate nauigandi potestate, has quoque Septentrionales angustias inuestigauit, totumque hunc maris tractum enauigauit. Sed nihil hac sua nautica expeditione profecit, mancipijs tamen ex hac ora abductis nauem impleuit, vnde tunc ingens ridendi iocandique in aula occasio, nam ciuis quidam Caroniensis, qui abeuntem Gomesium ad garyophillorum terras iter intendere, & redeuntem *Esclauos*, hoc est mancipia aduexisse audiuerat, deceptus similitudine vocis, gaudio præproperus, cum Gomesium *Clauos*, id est, garyophilla (vti receperat) aduexisse putaret, vt optati cursus lætus nuncius regiæ largitatis donum auferret, celeribus citisque equis ad aulam contendit, & Gomezium inuento freto, magnam aromatum abundantiam retulisse vulgauit, postmodum aduentu Gomesij errore comperto affatim risum est.

Stephanus Gomesius.

CAPVT XXVI.

Terra Laborratoris & Estotilandiæ.

EXTREMA hæc Indicæ continentis pars, inuentione omnium fuit prima, quando duobus pene sæculis, ante Lusita-

Lusitanorum & castellanorum nauigationes, à piscatoribus Frislandicis, tempestate huc eiectis, primitus hanc terram detectam & postmodum circa annum M.CCC.XC. auspicijs Zichini Frislandiæ regis, a Nicolao, & Antonio Zenis fratribus, patritijs Venetis, perlustratam, eorundem Zenorum relationibus constat. horum sagaci industriæ, quisquis es Geographiæ studiosus, debes Estotilandiæ & Septentrionalioris oceani, insularumque interiacentium descriptionem: quæ beneficio Nicolai Zeni ex recta supradictorum Zenorum posteritate prognati, conseruata extractaque ex hydrographica illorum membrana, Ptolemæi tabulis addita est, vti refert Hieronymus Ruscellus in suis ad Ptolemæum commentatijs. Secundum detectæ huius regionis decus tulit Iohannes Scoluus Polonus, qui anno reparatæ salutis M.CCCCC.LXXVI, octoginta & sex annis a prima eius lustratione nauigans vltra Noruegiam, Grunlandiam, Frislandiamque, Boreale hoc fretum ingressus, sub ipso Arctico circulo, ad Laboratoris hanc terram Estotilandiamque delatus est. Multo deinde tempore intentatum hoc nautis mansit littus, dũ algentis climatis gelu, aut infesti maris horrẽt procellas, haud satis dignũ ob præmium. Sed postquã Lusitani peragratis omnibus Africæ littoribus in Oriente, & Columbus Catholicorum regum nomine, in Occidente nouas terras inuenere, oborta inter Hispanos & Lusitanos contentione, cum pro se quisque certatim Moluccarum possessionem sui iuris facere contenderet, Gaspar Cortereal is anno à nato

Iohannes Scolui nauigatio.

Christo

Christo millesimo quingentesimo, quærens fretum quod compendio ad aromatum terras duceret, inuenit fluuium, cui a multo frigore, præiacétibusque niuibus. *Neuado* nomen indidit, sed ingentibus pene frigoribus subactus, meridiem versus tendens, totum hunc tractum ad Maluarum vsque promontorium detexit. Repetita deinde sequenti anno nauigatione, aquis haustus nusquam amplius comparuit. Michael Cortereális anno à nato Christo M.CCCCC.II. dum fraterno amore fratrem quærit, ad eundem sinum nauigans, pariter & ipse perijt. Vasquium Corterealem insanum quoque iter parantem, Emanuel Lusitaniæ rex retinuit. Sebastianus Gabotus anno millesimo quingentesimo septimo, cum nomine Angliæ regis, per angustias septentrionales, ad Cathayam & Sinarum regionem iter intendisset, Baccalearum terras detexit, enauigatoque toto hoc Oceani tractu, cum ad sexagesimum septimum latitudinis gradum peruenisset, hybernis frigoribus præpeditus multaque glacie impediente destinatæ nauigationis cursum in Angliam redijt. Cæterum Laboratoris hæc, Estotilandi æque ora, montibus aspera & syluis horrida, ingentium omnis generis ferarum multitudine abundat. Fama est gryphos istis quoque in montibus reperiri. Indigenæ ingenio docili sunt, linguam & characteres habent peculiares. Firma præterea corporis constitutione fortes ac robusti, venatores sunt strenui: colore perhibētur esse subfusco, non propter impendétes æstuantis solis radios, sed aut nimio frigore; aut cute herbis infecta: nam cutem hic quoque atratis coloribus barbarorum more depingũt, argenteasque bullas

Michael Cortereális.

aut

aut inaures gestitant. Ferarum martrarumque pellibus vestuntur, hyeme corpori obuersis villis. domos ligneas construunt, quas ferarum quoque pisciumue pellibus contegunt, piscibus vt plurimum victitant, quorum hic ingens captura. Auri has quoque feraces esse terras, quidam autumant, cuius rei fidem refellere non est animus: tamē hoc dicam, si qua ibi aurifodina fuisset operæ, non dubium, quin continuatis nauigationibus tota hæc ora petita, lustrata & penitus detecta foret. Nunc tamen, vltra prædictos Martinus Forbisserus, & Iohannes Dauis Septentrionalia hæc littora tentarunt, quorum ille anno M.CCCCC.LXXX hic anno M.CCCCC. LXXXV. M.CCCCC LXXXVI. fretum ad Sinarum populos inquirens, irrita nauigatione in Angliam reuersus est. Indos quondam tempestatibus in Sueuorum & Germaniæ littora eiectos, superius ex Cornelij Nepotis, & Pomponij Melæ authoritate, Quinto Metello Celeri, Galliæ tum proconsuli, à Sueuorum rege dono datos, non ex vltimis Orientis, aut Occidentis partibus, vti quibusdam visum est, sed ex hac Laboratoris, Estotilandiæ aut vicinis terris, venisse constanter teneo, mecumque sentiet quicumque climatis rationem, & præcedentia expenderit. Paulus Iouius antiquis temporibus aliquoties ex his partibus in nostram Europam transmigrationes factas, litandique humanis hostijs truculentum morem ex hoc orbe in Britanniam atque in Galliam manasse putat: sed ego hoc vt parum vero simile, nunc in medio relinquam, ex ingenio suo quisque demat vel addat fidem.

Historiæ

HISTORIÆ OCCIDENTALIS INDIAE LIBER III.

Qui est breuis tam Geographica quam Histori-ca omnium fere in ea regionum

DESCRIPTIO.

à Ioanne Hugonis Linſcotano Belgice primum conſcripta, & nunc in Latinum ſermonem compendiario traducta.

CAPVT I.

AMERICA, quæ à pleriſque quarta orbis pars iam cenſetur, à polo Arctico, vt Poſtellus autumat, ad Antarcticum exporrigitur, continens fere, niſi qua Magellanico freto interſecatur. De varijs Orbis huius diuiſionibus quum in principio præcedentis libri ſatis dictum ſit: breuem iam eius partis quæ America proprie dicitur, Deſcriptionem ſubiungemus.

Noua Francia.

Ea regio quæ ad ſeptentriones ſpectat, Noua Francia hodie appellatur, quod Franciſci auſpicijs à Ioanne Verazano primũ detecta ſit.

Initium

Initium sumit à XXIV. gradu citra Tropicum Cancri vsque ad L.& vlterius ad septentriones. Latitudo eius est à gradu XXV. vsque ad LIV. poli septentrionalis. Longitudo, à CCLXXX. vsque ad CCCXXXX. In vniuersum non minor tota Europa est. Insulis multis præcingitur, vt etiam Terra Laboratoris, quę Grunlandiam, maxime septemtrionalem regionem spectat. A multis ibi quæsitus ad Cathaios & Sinas transitus, spem hactenus fefellit: quem tamen hoc ipso tēpore dum hęc scribimus, Angli inuenisse dicuntur. De diuersis tam Hollandorum quam Anglorum conatibus in detegendo hoc transitu alibi diximus copiose, supra quoque nonnihil delibauimus, è Vitflithij coniecturis. Illud tamen hoc loco tacitus pręterire non possum, complures eorum quoque qui dictis nauigationibus interfuerunt (vt è quibusdam audire me memini) valde dubitasse num Vaigaticum illud fretum peruium esset, aut si maxime peruiū sit, vtrum per glaciem iter pateat Incolæ Terræ Laboratoris decenti sunt statura, corpore ad labores ferendos idoneo: quod varijs coloribus pingunt. Vestimenta illis præbent ferarum exsuuiæ. Piscibus magna ex parte victitant, salmonibus præsertim, quorum ibi copiosa est captura. nec tamen aues & alij fructus desunt. Sub gradu XLIV, & dimidiato Baccalearum sita est regio, ab asellis piscibus, quos Baccalaos Hispani appellant, denominata. Horum ibi tanta multitudo aquis innatare fertur, vt nauiū pæne cursum impediant. Ora maritima, vt in alijs quoque regionibus, frequentius habitatur.

Baccalaorum regio ad nongenta patet milliaria minima vero latitudo ab AEquinoctiali est XLVIII. graduũ & dimidiati. Maritima ora incolis frequentior est. Insulis multis præcingitur, Curia sc. Regia, Bica stella, Spei capite, & promontorio Britonum. Floridæ ad amnem Iordam Cichora prouincia est contermina: quam continuo tractu Guadalupia regio sequitur. Nouæ Franciæ quidem pars Occidentalis hodie satis cognita est; at pars septentrionalis adhuc magna ex parte latet. Eius vero nobilissima prouincia FLORIDA censetur, non quidem à floribus aut viridãte nitore, vt Theuetas nugatur, sed à die quo primum à Ioanne Pontio Legionensi detecta est (fuit is dies Palmarum quẽ Hispani Floridum Pascha vocant) denominata.

Floridæ descriptio

Floridæ pars magno spacio instar Italiæ, in Oceanum proijcitur, longa centum, lata alibi XX. alibi L. milliaria. Ab Oriente ei prætenduntur insulæ, Cichora, Bahama & Lucaia: à Noua Hispania, ad sinum Mexicanum, Anauaca regione disterminatur; ad septentriones Continenti iungitur. Regio ipsa plana est, frequentibus fluuijs & riuulis irrigatur. Maritima ora sabulosa est, pinis abundans, itẽque cerasis, castaneis, cedris, capressis, lauro, palma, &c. nec desũt vuæ syluestres, alijque id genus fructus; diuersi tamen à nostratibus saporis. Varia ibi animantium genera, cerui, capræ, vrsi, lupi, canes syluestres, lepores, cuniculi, &c. Ex auium genere, pauones, perdices, psittaci, columbæ, turtures, merulæ, cornices, ardeæ, ciconiæ, anseres & anates syluestres, aliæque varij generis. Crocodili

tam

tam frequentes sunt, vt natare valde periculosum sit. Reperitur hic quoque bestia quadrupes, Africano leoni non absimilis. Inter ceteras herbas & terra nascentia quorum multiplices & ignotæ nobis sunt species, prouenit radix China, cuius hodieque magnus in medicina est vsus. Incolæ colore sunt nigro paullum flauescente, membris robustis. Pudenda pelliculis quibusdam velant. Cutem varijs coloribus pingunt. In commercijs infido sunt ingenio: ad bellum intrepidi. Arma illis arcus & sagittæ: quas acutis piscium dentibus præpilant. Viri tempus omne à bello vacuum venationibus & piscationibus traducunt. Religionis omnis sunt expertes, nisi quod, vt plerique Americæ populi, Solem & Lunam diuinis honoribus colunt. Ijdem qui sacerdotum, medicorum quoque funguntur officio, magicis artibus & superstitionibus dediti. In Venerem omnes valde sunt soluti; vxorem tamen quisque suam habet, à prægnantium tamen consuetudine abstinent. Hermaphroditorum magnus passim est numerus: qui seruilibus operis vt plurimum adhibentur. Pane è maizio vescuntur. Potus illis præcipuus è foliorum quorumdam expresso succo: quem in publicis de bello præsertim consultationibus circumferunt; nemini tamen præbent nisi qui virile aliquod in bello facinus perpetrarit. Eius is naturæ est, vt & sudorem eliciat, & sine capitis læsione corpus roboret, & famem tolerabilem reddat. Maizium siue frumentum è quo panem pinsunt, bis in anno serunt, mense Martio & Iulio; quod intra trimestre egregie maturescit. Per alterum se-

Incolarũ mores, &c.

meſtre agri ocioſi iacent. Nulla illis ſtercoratio, niſi ex herbarum ſuccenſarum cineribus. Tempore ſementis faciendæ, cuiuſque loci incolæ ex mandato regis conueniunt, ac ruſtica opera communi labore exſequuntur. Meſſem deinde in communia quoque horrea conuehunt: vnde cuique pro ſtatus ſui conditione neceſſaria præbentur. Tantum ferunt quantum ad ſemeſtrem victum ſufficere putant; de craſtino parum ſolliciti. Hyeme in ſyluas ſeſe abdunt, vitamque venatione & aucupio ſuſtentant. In delicijs habent Crocodilorum carnes.

Regiones Floridæ.

Præcipuæ totius regionis prouinciæ ſunt, Panuca Nouæ Hiſpaniæ contermina, à Franciſco Garaio Anno MDXVIII. detecta, quem barbari cæſum deuorarunt, pellemque eius in delubro ſuſpenderunt; tum Anauares, Albardaoſia, Iaguazia, Apalachia, Autia, Samonia: quarum omnium incolæ ijſdem fere ſunt moribus, ab omni pietate & ciuilitate alieni, &c.

Totius huius ſeptemtrionalis tractus nobiliſſimus ac commodiſſimus eſt S. Elenæ portus, quem Regium propterea Galli appellarunt. Oſtium fluuij ad tria patet milliaria, duobus cornibus in mare procurrens, vno ad Occaſum, altero ad ſeptemtriones obuerſo. Magna hic quercuum & cedrorum frequentia: quarum ſyluæ tam feris quam auibus ſunt refertæ. Hic Galli arcem Carolipolim de Rege ſuo appellatam, ædificarant. Eſt alius ibi illo maior fluuius, Maius dictus. non procul inde abeſt Delphinum ſinus, ad quem Laudonnerius è Gallia primum appulit. Sub XXX. ab Aequatore ſitum eſt Francicum promontorium: à quo aliud ab arundine-

tis

is nomen habens, x x x v. milliaribus abest. Sed
n plerisque tam fluuiis quam aliis locis post
Gallorum emigrationem nomina ab Hispanis
nutata sunt.

CAPVT II.

Insularum aliquot circa maritimam Floridæ oram descriptio.

TOtum circa Floridam pelagus tam frequentibus scatet insulis, vt Continentis quondam partem fuisse, & fluctuum vi indeabrasas, vero non sit
issimile. Illud mirum est quod quũ in ceteris
Orbis partibus insulani plerunque ferociores
int, harum incolæ & ciuilius aliquanto viuant,
& corporis nitore ac specie, feminæ præsertim,
vicinis omnibus antecellant. Præcipuæ sunt
Lucaiæ & Bahama, Cubanis & Hispaniolensi
bus ad septentrionem circiter x v II. & x v III.
gradum sitæ. In harum nonnullis fabulosas il-
as Amazonas habitare quidam autumarũt: tum
n vna fontẽ esse, cuius aquam qui potauerint,
eiuuenescant. Mira omnium erga Regem obe-
dientia, cuius iussu lubenter mortem quoq; sub-
erint. Is tã rustica opera quam messem in pub-
ica horrea illatam, singulis familiis pro cuius-
que numero dispensabat. Ita beati illi totum tẽ-
pus venatione, piscatione, aut ludis & ocio trã-
sigebant, omnium curarum & litium ignari, &
paucis contenti. Charissimus illis thesaurus
erãt lapilli quidã è cõchis marinis exẽti, e quib.
torques & armillas sibi cõcinnabant. Cõplures à
carniũ esu abstinebãt; imo nõnulli q. eas gustarãt

Lucaiæ insulæ.

 mortu

mortui dicuntur: quamuis in nonnullis insulis tanta columbarum copia etiamnum niduletur vt cymbæ ijs impleantur. Hæ insulæ omnes vacuæ & desertæ iam iacent. Quum enim aurum ibi nullum reperiatur, multa incolarum millia ad vicinas auri fodinas ab Hispanis exportata, in ijsdem misere perierunt.

Antillarũ prima Cuba.

Antillæ dicuntur insulæ quæ longo maris spacio Nouis illis terris prætenduntur. Harum præcipua Cuba dicitur, Ferdinandina item, Ioanna, Alpha & Omega, vt Petrus Martyr vult necnon S. Iacobi insula à præcipuo oppido denominata. Ab Ortu Hispaniolã siue Dominicam respicit, ab Occasu Iucatanam, ad septemtriones magnum Floridæ promontorium & insulas Lucaias, ad Austrum Iamaicam obiectas habet. Folio saligno non est absimilis, longior quam latior. ab Ortu ad occasum C C C. patet milliaria; à borea ad Austurm L X X. latitudo alibi vix X I X. plus minus habet milliaria. Vmbilicus insulæ sub X C I. longitudinis, sub X X. vero latitudinis gradu situs est. Auro & cupro diues est: aere salubri gaudet, aliquanto tamen frigidiori. Multis amœnis, etiam auriferis irrigatur fluuiis: omnibus denique ad vitam necessarijs abundat. Sex oppida ab Hispanis habitantur: inter quæ S. Iacobi fanum Episcopi sedes est; Hauana vero præcipuum emporium & totius insulæ Nauale. Duo in hac insula memorabilia recenset Consaluus Onetanus. vnum quod in valle quadam ingentes globorum aceruiconspiciuntur, nulla arte sed ab ipsa Natura tanta rotunditate factorum, vt etiam ad tormenta sint vsui. Alterum picis fons est, è monte

monte quodam non procúl à mari ſcaturiens, & in ipſum mare ſeſe euoluens: vbi pix ſupernatans, modo in hanc modo in illam partem à ventis diſflatur. Incolæ nudi incedunt. Serpentibus, quorum hic mira tam multitudo quam magnitudo, citra omnem noxam veſcuntur. Sponſæ non ſponſus, ſed eiuſdem ſtatus homines ad nuptias inuitati, zonam ſoluunt. Viri vxores facile repudiant; vxori vero virum relinquere nefas. Sed priſcis incolis plerisque omnibus aut nece aut fame extinctis, ab Hiſpanis non valde multis iam habitatur.

Iamaica seu S. Iacobi Inſula.

Ex aduerſo Cubæ Iamaica, quæ hodieque vetus nomen quidem retinet, ab Hiſpanis tamen S. Iacobi inſula frequentius appellatur, ſita eſt, inter XVII. & XVIII. gradum citra AEquatorem. Ab Ortu Dominicam habet inſulam, XXV. milliaribus ſeiunctam, ab Occaſu Iucatanæ promontorium; à ſeptemtrione Cubam pari quo Dominica inde ſpacio diſtantem; ab Auſtro paruam inſulam Luceranam nomine. Latitudo eius longitudinem ſuperat. Ab ortu ad Occaſum L. ab Auſtro ad meridiem XX. patet milliaria. Hiſpani iam habitant, priſtinis incolis itidem pæne eorundem auaritia & crudelitate abſumtis. Medium inſulæ poſitum eſt ſub CXCI. longitudinis, & ſub XVIII. latitudinis gradu. Ab æquinoctiali ſita eſt ſub XVII. gradu partis borealis. Tam fructus quã animantia ex Hiſpanijs importata, mira fecunditate hic proueniunt. Aurum habet, & goſſypium optimum. Caro ſuilla melior hic quam vllis aliis in locis. Metropolis eſt Hiſpalis ſiue Siuilia, Abbatia celebris, cuius primus Anti

tiftes fuit Petrus Martyr, vt fupra quoque diximus.

Hifpaniola fiue Dominica.

De Hifpaniola quoque fupra fatis multa. Situs eft (vt accuratius hęc talium rerum curiofi intelligant) infulæ vmbilicus fub CCC. longitudinis, XIX. latitudinis gradu. Circuitus eius eft CCCL milliarium. Ab ortu infulam S. Ioannis cũ multis alijs, ab Occafu Cubam & Iamaicam; à feptẽtrione Canibalum fiue Caribum anthropophagorum infulas; ab Auftro promontorium Continentis Caput Velæ ad Venezuelam, id eft, paruas Venetias, appellatum, refpicit. Aurum non è montibus tantum, verum etiam fluuijs & lacubus extrahitur. Ambram profert, goffypium (telę tamen texendæ vfum incolæ ante non habuerunt) faccharum, colores cæruleos, lignum Brafilianum; tum omnis generis fructus tam natiuos quam eò importatos, mira copia & vbertate. Metropolis eft S. Dominici ciuitas, vnde iam tota infula nomen habet. Poftquam aurum deficere cœpit, præcipua negociatio incolarum in facchari & bubalorum tergorum diftractione confiftit. Tam boum enim quam aliorum pecorũ tantus ibi eft numerus, vt fint Hifpani qui fex aut octo millia in peculio habeãt. Alterũ præcipuum oppidũ Ifabella dicitur, in valle pofitum. De incolis & alijs huius infulæ rebus Hifpani fcriptores legi poffunt. Vnum præterire non poffum, non contemnendum Naturæ miraculum. Vermiculi hic fiue infecta quædam reperiuntur, quaternis alis inftructa; quarum binæ minufculæ, fub binis illis maioribus ac durioribus latent. Hæc mirabili fplendore quem tam ex ocellis quam lateribus eiacu-

eiaculantur, etiam densissimas noctis tenebras, inprimis quum explicatis alis volāt, illuminãt, vt scribere aut aliud facere volentibus, affatim luminis præbeãt: immo iter facientibus vnum manu portatum, non minus quam fax quædam viam monstrat.

Boriquena hodie S. Ioannis insula.

Boriquena ex Antillis sequitur, nunc S. Ioannis insula dicta. Medium huius insulæ incidit in CCCIII. circiter longitudinis, & XVIII. latitudinis gradum. Ab Oriente S. Crucis habet insulam, ad Occidentem & Septemtrionem Dominicam XXV. milliaribus distantem; ad Austrum Pariæ promontoriũ CXXXVI. milliaribus inde disiunctum respicit: Longitudo eius L. latitudo XVIII. complectitur milliaria. In plagam Septẽtrionalem & meridionalem diuiditur: quarum illa auri quondam fuit, hæc vero omniũ rerum ad victum pertinentium etiãnum ferax est. Aiunt Hispanos primum ibi visos, immortales fuisse creditos: at quum regulorũ vnus in Hispano quodam, quem aquis demergi præceperat, experimẽtum fecisset, mox CL. alios auro conquirendo occupatos, eius iussu interfectos.

S. Crucis insula.

S. Crucis insulam Hai Hai olim dictam, Canibales siue anthropophagi inhabitarunt; qui intra breue tempus ad quinque hominum è vicinis insulis abductorum millia deuorasse dicuntur. Post hanc velut in Archipelago quodam multæ sparsæ iacent insulę, à figura oblõga & exili, Anguillæ in genere, speciatim vero à sua quæque figura dictæ, vt Maria Rotunda, Mons obseratus, S. Martini, S. Bartholomæi, S. Barbaræ, B. Virginis Antiquæ insula. Eorũ nonnullę

Anguilla insula.

viridi sunt colore, aliæ rubro, aliæ flauo, quædam etiam violaceo, adeo vt mirifice amœna specie præternauigantium oculos feriant & oblectent.

Guadalupea insula

Non procul à Virginis Antiquæ insula, Guadalupea iacet, præcipua Canibalum quondam sedes, quatuor ab Aequinoctiali gradibus distans. Circuitus eius CXXX. milliaria complectitur. duobus amnibus diuisa, instar Angliæ & Scotiæ, duarum insularum speciem habet. Psittacorum hic ingens est multitudo. Solũ fertile varios fructus suauissimos progignit. Incolæ feri & syluestres, omne fere cõmercium aspernantur.

Desiderata.

Circiter XVIII. milliaribus à Guadalupea abest Desiderata, vulgo Desiada insula, xx. milliaria in circuitu patens. Ad meridiem x. inde milliaribus sita est Galanta, id est, Pulchra, à re dicta, x. milliaribus illa maior. Versus ortum sex iacent insulæ, Omnium sanctorum appellatæ, sed scopuli potius, ob infecunditatem, censendæ, & nauigantibus formidabiles. Porro est Dominica, Canibalum vna, à die dominica, quo detecta fuit, dicta, tota syluis & dumetis horrens. Sequitur Madannina, id est, Mulierum insula, putatitia Amazonum sedes. Sed de insulis his pro nostri operis modulo satis.

Martyres

Porro quà Floridæ Caput Cubam insulam & Iucatanam respicit, scopuli quidam visuntur, Martyres & Tortugæ vulgo dicti. Ceterum vt locorum distantiam accuratius indicemus, Ab extremo Floridę promontorij puncto ad Ancon Baxo, C. numerantur milliaria. ab Ortu in Occasum vergit, & vnà cum Riuo sicco Floridæ latitudinem

titudinem constituit. Ab Ancon Baxo vſque ad Rio de Nieues, id eſt, Riuum Niualem, C. milliaria. Hinc ad fluuium Flores XX. plus minus. Inde rurſus ad ſinum S. Spiritus, Cularam alias dictum, LXX. Ab hoc ſinu, qui ſitus eſt ſub XXIX gradu, LXX. milliaria vſque ad fluuium Piſcatorum. Ab hoc ad Fluuium Palmarum, circa Tropicum Cancri, C. milliaria. A fluuio Palmarum Panucum vſque XXIX. Inde ad Villam Riccam ſiue Veram Crucem, LXX. Hinc rurſus ad Aluaradum fluuium, XXX. Ab Aluarado, Indis Papa Loapam dicto, ad Coazacoalco fluuium, L. Hinc ad fl. Grialuum XL. A Grialuo ad Caput Rotundum, LXXX. Hinc ad Caput di Cotoche ſiue Iucatanę, XC. quod ſitum eſt ſub XXI. gradu, ita vt Floridæ vniuerſa ora ad Iucatanam vſque nongenta circiter comprehendat milliaria: quod quidem promontorium verſus Boream quanto longius in mare excurrit, tanto quoque magis pateſcit atque incuruatur. A Cuba LX. diſtat milliaria, quæ quidem vtrique, Floridæ ſc. & Iucatanæ interiacens, mare quaſi excludere velle videtur. Hunc ſinum alij Mexicanum, alij Floridæ, alij Corteſium vocant.

CAPVT III.

De Noua Hispaniæ limitibus, & prouinciis, &c.

SEcunda Americę pars Noua Hispania dicitur. Initium sumit à plaga septemtrionali, circa Panucum, in Floridæ finibus: versus Austrum Darienam attingit, vbi à Peru disterminatur: ab ortu Oceanum habet: ab Occasu Mare Australe. Longe lateque patet, ac complures populos ac prouincias complectitur: quarum inuentione prima est Mexicana, Themistitan item & Culhuacana, &c. indigetata. Reliquę prouinciæ sunt, Guatimala, Xalisco, Fondura, Chalcos, Taica, Chamolla. Claortomaca, Huacacholla, vnà cum regnis Mechuacan, Tescuco, Tlascalla, Temuacan, Maxcalcino, & Mixtecapan.

CAPVT IV.

Mexicanæ prouinciæ descriptio.

MEXICANA prouincia, vt superius ostẽdimus, Ferdinãdi Cortesij industria, Anno MDXVIII Hispaniarũ regis accessit imperio. Auro & argẽto abundat, cuius grumas etiam fluuij & riui voluunt. Ora maritima vnionum siue margaritarum piscatione nobilis est. Salis in lacubus pas sim

ſim ex ſtagnanti aqua concreti, magna eſt copia. Caſſiæ fiſtulæ prouentu nec Aegypto cedit: de qua & alijs fructibus poſtea agemus.. Flumina item in eo Nili ſimilia ſunt, quod Crocodilos producunt, etiam xx. pedum longitudine: quorũ carnes Mexicani in delicijs habent. Regio tota montibus & rupibus aſpera eſt. Linguarum quoque magna hic eſt diuerſitas, vt vbiuis fere interprete opus ſit.

Colonię Hiſpanorum ſunt, primum Compoſtella, Epiſcopi & Regij Senatus ſedes. Colima Purificationis ciuitas alias dicta. Nouæ Galitiæ caput ſiue metropolis eſt Guadalaiara. Mechuacan quoque Epiſcopali ſede fulget: vt & Cacatula, ſiue Angelorum ciuitas. Sed non huius tãtum prouinciæ, verum etiam omnium Noui Orbis ciuitatum regina eſt, vrbs Mexicana, Themiſtitan olim quoque appellata, in lacu ad inſtar Venetiarum ſita, qui nullos piſces habet præter minutos quoſdam, vermiculos potius quam piſces, quorum putore aer ibi valde inſalubris redditur, nihilominus tamen vrbs ipſa tam incolarum numero quam commerciis mirum in modum floret, tria ambitu milliaria complectens. Verum quum & ſuperius nonnihil de hac prouincia dictum ſit, & iuſto volumine comprehenſa eius exſtet deſcriptio, ad alias regiones properamus.

CAPVT V.

In quo Iucatanæ prouinciæ quædam notatu digna recenſentur.

OCcidentale Cubæ latus gracili cuſpide in mare excurrens, in extremo promontorium habet, à S. Antonio dictum, tam aquationi quam reficiendis nauibus opportunum. Ab hoc Continentem verſus LXV. circiter milliaria nauigantibus, aliud promontorium, vel peninſula potius longo tractu in mare protenſa, occurrit, ſub XXI. gradu poſita, qua minima eius latitudo eſt, X C. Hiſpanica milliaria complectens. Iucatana vulgo dicitur, corrupto nomine. Quũ enim è prædicto portu Antoniano Hiſpani quidam nouas terras inueſtigaturi ſoluentes, ad hãc terram delati eſſent, atque ex incolis regionis nomen percontati eſſent, Indi reſponderunt; *O Tectetan, Tectetan*, id eſt, non intelligo quid dicas: ex quo poſtea Hiſpani corruptum illud *Iucatana* efformarunt. Peninſula hæc ab Ortu ad Occaſum circiter CC. in longitudine continet milliaria: atque errant qui eam minorem faciunt. A Franciſco Ferdinando Cordubenſi Anno M D X V II. etſi nõ tota, detecta eſt: qui à Cuba ſiue nouas terras inueſtigandi, ſiue mancipia ad aurum effodiendum, conquirendi ſtudio, profectus, non procul à Fondura promontorio, circa inſulam Guanaxum vel Caguanaxam, piſcatores quoſdam inuenit. Inde vlterius tẽdens ſali-

Iucatana peninſula.

salinas quasdam conspexit, & non procul inde turriculas siue ædiculas quasdam è saxo constructas, in quibus pulcro ordine idola quædam muliebrem speciem referentia, disposita cernebantur: vnde promontorium illud Donne, id est, Muliebre dictum fuit. Mirabantur Hispani nunquam sibi hactenus illis in locis visas saxeas structuras, tum incolarum habitum, qui interulis ac palliolis corpus tectum, & auro ac gemmis ornatum ostentabant. Inde ad aliud promontoriū prouecti, rursus piscatores quosdam obuios habuerunt: qui conspectis Hispanis, statim in terram sese eiecerunt, ac inclamantibus Hispanis, nihil aliud responderunt quam *Cotohe, Cotohe,* id est, domum versus, vnde promontorio illi nomen mansit. In litore ibi magna cum admiratione vrbem conspicati, ob amplitudinem Alcairum eam appellarunt, specioso magis nomine quam quod tantam vrbem æquet. Domus partim è cæsis exstructæ erant lapidibus, turribus etiam ornatæ; sed stramine & herbis siue vimine tectæ. Vestitus incolis non è lana, (oues enim nullas habent) sed gossypio, variis coloribus tinctus. Feminæ tum caput, tum reliqua membra, sed pedes inprimis magna cura multisque fascijs tegunt, superstitionibus valde deditæ. Ab humanarum carnium esu quidem abstinent, hominū tamen sanguinem dijs vel potius idolis suis immolant. Circumcisionis apud illos viget vsus, quamvis vnde acceperint non cōstet. In commerciis, quod in barbaris rarum, bona fide vtuntur. præcipuæ illis merces sunt vestes è gossypio, Mellis & ceræ magna ibi copia, cuius tamen vsum illi ignorarūt antea. Regio ipsa

Promontoriū Cotohe

ſatis aſpera eſt & ſcrupea, Maizium tamen copi-
oſe profert. Piſcatus quoque vberrimus. Aiunt
olim hac in regione ad quagringenta incola-
rum millia habitaſſe, è quibus vix octo millia
iam ſuperſunt.

CAPVT VI.

Guatimalæ continens deſcriptionem.

Guatimalæ ciuitatis euerſio

IVCATANAM Guatimala excipit, ab
vrbe eiuſdem nominis appellatio-
nem ſortita, quæ Anno MDXLI. Sep-
tembris die VIII, continuis, imbribus
& atroci tempeſtate funditus pæne deleta eſt.
Pridie eius diei aiunt, Indos quoſdam Epiſco-
pum Franciſcum Maroquinum nomine acceſ-
ſiſſe, eique indicaſſe, incredibile ac horrendum
murmur ſiue ſtrepitum ad vicini montis pedem
ſibi auditum; vereri ne res ea mali aliquid por-
tendat. Tum Epiſcopus, Quoties, inquit, edixi
vobis ne vana eiuſmodi auguria, vnde inanes
vobis metus aut ſpes fingitis, captaretis. Mox
ſecunda noctis vigilia aquæ è prædicto monte
tanta vi eruperunt, vt domos & obuia quæque
ſecum abripuerint: in aere etiam horribiles au-
diti ſunt ſtrepitus & ſpectra quoque viſa. Hac
ſtrage vrbs ita deformata fuit vt vix domorum
veſtigia ſuperfuerint: in qua DXX. Hiſpani circi-
ter perierunt. Vrbs poſtea alio loco non procul
inde condi cœpta eſt, LXXX. aut XC. circiter do-
morū, è coctis laterib. exſtructarū, tegulis quoq;
lateritijs tectarū. Totum hunc tractū Benzo, qui
diu hic verſatus eſt, terræmotib. valde obnoxiū
eſſe

esse testatur. Ceteroqui salubris hic est aeris téperies, & solum frumento fecundum, arbores tamen, præter ficulneas, hic raræ, eæque steriles vtplurimũ. Incolæ iisdem fere moribus & sacris vtuntur quibus Mexicani & Nicaraguenses.

CAPVT VII.

Fonduræ regionis descriptio.

GVatimalæ finitima est Fondura, magno terrarum spacio comprehensa regio, in qua olim, vt quidam autumant, quadringenta & decem hominum millia habitarunt, è quibus vix octo millia superesse dicuntur, ceteris aut mancipio venditis, aut per varios labores, & presertim in auro effodiendo absumtis, aut vltro in latibula & terræ cauernas, procul ab hominum cultu tyrannidis metu sese occultantibus, & mœrore ibidem confectis. Hac in prouincia Hispani quinque colonias constituerunt, in quibus tamẽ omnibus vix CXX. aut XXX. iustę magnitudinis domos reperias, eæque omnes ex arundinibus & stramine sunt exstructæ. Harum præcipua est Trugillum vel Turris Iulia, Episcopali sede celebris, cliuo ad septemtrionale Oceani litus adiacens. Non procul inde Acusamilla, Cozumel vulgo, iacet insula, à Cubæ portu Antoniano LXX. & à Iucatana V. distans milliaria: cuius ambitus XLV. milliaria continet. Terra plana est, ac rerũ omniũ fertilis. Aurum quoq; habet, sed aliũde importatũ; tũ mellis ac ceræ incredibilem copiam, ac fructuũ, pecorum & aurum varia genera. Cum Iucatanæ incolis

lis ijſdem moribus & vitæ inſtitutis vtuntur. Domos quoque eadem habent forma, vt & templa, & plateas, niſi quod rariora hic opera è ſaxis vel lapidibus. & tamen marmoreas etiam columnas in ædibus quibuſdam videre eſt. Incolæ Hiſpanos primum deſcendere prohibitos, poſtea honorifice exceperunt; quorum præfectus in turri quadam ſigno Crucis conſtituto, S. Crucis inſulam eam appellari voluit, quod V. die Maij S. Cruci ſacro, eò appuliſſent. In quibuſdam huius turris conclauibus multa idola è marmore & argilla, humi iacentia reperta ſunt, quibus miſeri illi & ſuffitu & aliis ritibus ſupplicabant. Apud hos quoque Circumciſio in vſu erat.

CAPVT VIII.

Nicaraguæ prouinciæ deſcriptionem continens.

VLtra Chiulutecanas Fonduræ fodinas Nicaragua occurrit, verſus mare Auſtrale ſeſe extendens, non tam magnitudine quam amœnitate ac fertilitate nulli iſtarum regionum comparanda. AEſtus ibi tantus, vt iter non niſi nocturno tempore confici poſſit. Per totum ſemeſtre continuæ cadunt pluuiæ; alterum ſemeſtre totum viciſſim ſiccum eſt, & pluuijs caret: ac dies tum noctibus ſunt æquales. Mellis, ceræ, goſſyppi, & balſami quoque copioſus eſt prouentus, vt & aliorum fructuum, qui nec in Hiſpania nec

vllibi

vllibi locorum reperiuntur. Boues hic raræ ſunt, at porci plurimi, ex Hiſpania aduecti. Metallis tellus caret: niſi quod aliunde importatur. Pſittacorum ſturnatim volitantium tanta eſt multitudo vt ſementi perniciem afferant, niſi quibuſdam laruis & mormolyceis abſterreantur. Regionem hanc Hiſpani ob ſingularem amœnitatem & fertilitatem, Mahometi paradiſum appellarunt. Indicarum gallinarum mira eſt copia. Pecuniæ loco fructu quodam vtuntur, quem Cacauate appellant. Is mediocri arbori adcreſcit, nec vmbram ſed calorem amat, à ſole tamen tactus, quamprimum quaſi exſpirat: eoque humidis locis ſeritur, ita tamen, vt quibus adſitus eſt arbores emineant, ac ramorum denſitate à ſolis ardore defendant. Fructus amygdalarum lapillis ſunt ſimiles; & è cortice exempti nigrum habent folliculum. Ex his potum quoque conficiunt, pipere admiſto, non tam quidem illum dulcem & palato gratum, quam corpori ſalubrem. Mexicanorum mores incolæ ſequuntur, ac præterea humanis veſcũtur carnibus. Diuerſis vtuntur idiomatis. Mexicani tamen vtpote elegantioris, vſus latiſſime, ad DL. milliaria ſe extendit. Ad publicos ludos ſiue ſaltationes nonnunquam quatuor aut plura hominum millia conueniunt. Locus deinde vbi ſaltare volunt, magna cura verritur & purgatur. Præcedit vnus tamquam choragus: quem reliqui omnes terni, quaterni, aut plures, pari corporis motu ſequuntur, & neſcio quid cantillantem, excipiunt, & crotalis aut ſimilibus inſtrumentis voci adſtrepunt. Portus, in Nicaragua ſatis commodus eſt ad Realegionem

Cacauate fructus pro pecunia.

pagum, Hiſpanis habitatum. Vnius diei itinere inde abeſt Legio Epiſcopi ſedes, ad ripam cuiuſdam lacus à Franciſco Ferdinandi condita, vt & Granata, & aliæ Hiſpanorum ad eundem lacũ, quà is in mare ſeptentrionale exit coloniæ. Vtraque ciuitas, Legio ſc. & Granata, vix LXXX. habent ædes, quæ partim è ligno aliaque materia, partim è coctis lateribus ſunt conſtructæ. A Legione XXXV. circiter miliaribus mons eſt, ignem inſtar Aetnæ, euomens; cuius flamma ſępe etiam in locis valde remotis conſpicitur.

Lacus Nicaragua.

In lacu Nicaraguenſi prægrandes piſces reperiuntur: inter alias vnum genus eorum qui Hiſpanis Manati dicuntur, quod circa caput pinnas habet, manuum inſtar. Lutræ non abſimili eſt ſpecie, longus plerumque XXXV. craſſus XII. pedes. Capite & cauda bouem repręſentare videtur, oculos habet paruos, cutem duram & piloſam, pedes Elephantis pedibus ſimiles. Fetus femella vaccarum inſtar parit, & mammis nutrit: miroque homines amore proſequitur. De piſce quodam ex hoc genere incredibilem pęne hiſtoriam Indi referunt. Aiunt regem quemdam Caratamrium nomine, puſillum vnum ex hoc genere cepiſſe, atque in lacum, Guaniabo ædibus ſuis vicinum abieciſſe. Eum piſcem panis micis nutritum, tam cicurem factum, vt Marto, (id eſt generoſitatis nomen) inclamantibus, continuo ad manus venerit, ac cibum inde ceperit. Etiam in terram atque ipſas ædes egreſſum (amphibum enim eſt) cum pueris luſiſſe. Quin etiam octo vel decem in tergum ſuſceptos, per lacum vexiſſe. Aliquaudo

De piſce mira hiſtoria.

vero

vero ab Hiſpano quodam, periculum de cutis duritie facturo, ſagitta percuſſum, hacque iniuria (quamuis nullo accepto vulnere) abſterritum, fruſtra deinde, à barbatis præſertim, vocatum, ab hominum conſortio abſtinuiſſe. Tandem Attibunici fluuij eluuione, in Oceanum ſeſe recepiſſe. ſane hiſtoria illa de Delphino quæ apud Plinium ſecundum exſtat, vt non eſt diſſimilis, ita quoque & fidem facit, & viciſſim ab hac accipit. Lacus ſupradictus paucis milliaribus à mari Auſtrali diſtat, & flumine nauigabili, quod Hiſpani Deſaguadera vocant, in Oceanum Septemtrionalem euoluitur. In hoc flumine, vt & aliis paſſim, Crocodili frequentes ſunt, qui in ripas egreſſi, oua in arena excludunt, anſerini oui magnitudine, tanta duritie, vt ſaxo illiſa, non frangantur.

De ſaguadera; alias Rio grãde.

Iam, vt locorum diſtantiam quoque indicemus, à capite gratię diuinæ vſque ad Fluuium grandem ſiue Deſaguaderam, milliaria numerantur LXX. A Deſaguadera ad Corobarum, XL. A Corobaro ad oppidum Nombre de Dios, L. quo in ſpacio Veragua comprehenditur, & Suerus fluuius. In vniuerſum à Iucatanæ promontorio ad Nombre de Dios, quingenta ſunt milliaria.

Quod ad populorum circa Suerum fluuium habitantium mores attinet, parum ij à reliquorum Indorum moribus diuerſi ſunt, niſi quod ab humanarum carnium eſu abſtinent. Apud hos vrſi reperiuntur, itemque Tigres ac Leones: qui tamen homines fugiunt, ac

Suerus fl. & accolarũ mores, &c.

metuunt magis quam metuuntur. Mira quoque magnitudine sunt serpentes, sed innoxij, sine veneno: cercopithecorum quoque magna est copia. Est ibi aliud animantis genus, Cascui incolis appellatum, porco nigro non absimile, pilosum, præduram habens cutem, oculos paruos, aures patulas instar Elephantis, non tamen tam vastas, nec adeo pendulas, vngulas scissas, ac paruam etiam promuscidem. Stridore tanto tamque absono aures ferit, vt quasi obsurdescant. Carnes nihilominus gratum habent saporem.

CAPVT IX.

In quo Nominis Dei (vulgo Nombre de Dios) ciuitas ac circumiacens regio describitur.

NOminis Dei ciuitas, ad mare Septemtrionale, à Didaco Niquesa nomen accepit. Is enim multis ærumnis diu circa illas oras iactatus, tandem hoc in loco exscensione facta, suos affatus, & meliora ominans, *Sit hoc*, inquit, *in nomine Domini*: & egressus cum suis, loci opportunitate allectus, tuguria aliquot exstruxit: quæ prima huic ciuitati initia præbuerunt. Longitudo eius ab ortu in occasum secundum litus porrigitur. Aer hic parum salubris est, hyeme præsertim: cuius caussa sunt tum immensi calores, tum frequentes paludes, quæ totam vrbem quasi cingunt. AEdificia Hispanicis sunt similia, in quibusdam merca-

Situs Nominis Dei ciuitatis.

mercatores habitant & mangones, complura hospitibus excipiendis sunt accommodata. nec desunt tamen opifices. Mercatorum plerique suas quoque domos & horrea Panamæ habent, quò merces è Peruana, huc vero ex Hispania comportantur. Non diutius ibi morantur, quã donec tantum quantum satis videtur, corraserint: atque inde vel aliò, vel in Hispaniam remigrant. Portus Septemtrionem spectat, multarum nauium capax. Fructus ex Hispania eò allati, vt mala citria, aurantia, &c. ob aëris intemperiem parce proueniunt. Cetera ad victum necessaria è Cuba & Hispaniola insulis, aut Nicaragua petuntur, frumentum scilicet Indicum, salsamenta tam piscium quam carnium, &c. Carnes recentes Panama suppeditat: reliqua omnia, vt vinum, oleum, farina, panis bis coctus, ficus, vuæ passæ, vestes è serico aut lana, &c. ex Hispanijs eò conuehuntur. Mercimonia ab hac vrbe per Chiaram fluuium nauiculis Cruciam (qui locus xv. à Panama milliaribus distat) subducta, hominibus ad id constitutis traduntur; atque inde iumentis imposita, Panamam (de qua postea) deuehuntur. Totum hoc spacium quod inter Panamam & Nominis Dei ciuitatem interiacet (Isthmum Darienis vocari supra diximus) vix septendecim patet milliaribus. Tantillum est quod vtrumque mare, Australe scilicet & septemtrionale, dispescit ac seiungit. Qui Nominis Dei ciuitatem Venetijs æqualem faciunt, Venetæ vrbis magnitudinem ignorant; quam vix vniuersæ ibi Hispanorum coloniæ adæquent.

Isthmus Darienis.

Dareine vel D. virgo Antiqua

A Nomine Dei ad Darienis Farallones, sub VIII. gradu sitas, LXX. sunt milliaria. Dariene, D. Virginis Antiquæ fanum alias appellata, itidem pestilenti afflatur aere, adeo vt plerique omnes incolæ lurido sint colore, vt ij qui morbo regio laborant. Intolerabili calori causam nonnulli adscribunt. Solem enim meridianum vertici habent recta impendentem: nec minus à reflexis vndiquaque radijs infestantur. Sed & ipsum solum, vtpote lacustri ac putri aqua vndique scatens, sua quasi natura pestilēs est. Quid, quod ex aqua in ædium areas effusa, buffones ac venenati vermiculi statim generantur. Ipse quoque Dariene fluuius pigro cursu incedens, limo ac cœno impeditus, non tam fluuij quam stagni speciem habet. Regio nihilominus bubus, porcis & equis abundat: nec desunt prægrandes arbores, ac varij terræ fructus. Incolæ nudi incedunt, nisi quod feminæ ab vmbilico ad genua, aut si nobiles sint, ad talos vsque pendenti panno gossypino corpus tegunt; viri vero pudenda aut arundini, aut conchæ inserta gerunt. Hyems hic nulla: quum ostium Darienis fluuij tantum VIII. ab Aequatore gradibus absit.

Vrabiensis sinus.

Sinus Vrabiensis ad XIV. patet milliaria: ostium vero sex milliaria latum est; ac quanto Cōtinenti propius, tanto magis contrahitur. Fluuius multos alios fluuios & riuos antequam in sinum exeat, recipit, & vnum quidem inter ceteros, ipso Nilo fecundiorem. Quidquid in Vraba seritur aut plantatur, facilime prouenit, nec minus celeriter adolescit. Cucumeres, melones, cucurbitæ, &c. intra diem vicesimū octauum

uum maturescunt. Aliorum fructuum variæ hic sunt species, forma à nostratibus plane diuersę, sapore tamen non inferiores: de quibus vide Petri Martyris librum IX. de Terra firma. Ad ostium sinus Vrabiensis Tortuga iacet insula, & medio inter Vrabam & Carthaginem spacio, insula Fuerte, vtraque anthropophagis habitata.

Caribana & Zenu oppidum.

Vrabam sequitur Caribana, à Caribibus hominiuoris denominata. Vlterius tendentibus oc currunt duo fluuij, de Guerra & Zenu appellati, quorum hic amplum facit portum. Ad eundem situm est einsdem nominis oppidum, VII. aut VIII. à mari distans milliaribus, vbi copiosa salis, piscium, & auri etiam atque argenti exercetur mercatura. Aurum è fluuijs hoc modo colligitur. Vbi aquæ copiosis imbribus intumuerint, incolę certis quibusdam locis retia angusta admodum ponunt, ad quæ aurea illa arena, immo grandiusculæ sæpe grumæ adhærescunt. Regionem hanc primus detexit. Rodericus Bastides Anno MDII. & post hunc Ioannes Sosa, Ancisus, & Alphonsus Hoieda. Quamuis autem Hispani primum omnia pacis indicia ostentarent: Caribanes tamen nihil pacate respondebant. Ad eos missus à Pizarro ex Vraba ductus interpres, hæc eis mandata exposuit: Hispanos Christianorum sequentes religionem, Oceanum emensos, quum auro tum aliis rebus ad victus necessitatē pertinentibus egere. Rogare vt earum rerum copiam sibi facere, atque vicissim quas illi aduexerint, inusitatas ibi locorum merces, permutatione facta, à se accipere

velint. Sibi quidem nihil gratius fore quam vt pacifice cum ipsis negotiari possint. Ad hæc Caribes Zenuenses: Quod Hispani pacis se se studiosos profiteantur, non posse scire quale sit; quum nihil minus quam pacem præ se ferre videantur. Inde ergo quantocyus facesserent. neque enim ferre posse vt ita manifesto ludibrio habeantur, & à peregrinis arma sibi ostententur. Tum Ancisus prius inde se discedere nō posse professus est, quam Domini & Regis sui mandata ipsis exposuisset; longaque oratione quum caussas sui aduentus, tum præcipua Christianæ religionis capita explicauit, illud in fine addens: Sanctissimum Dominum Papam Romanum, Christi in terris vicarium, & vnicum religionis & sacrorum arbitrum, Catholico Hispaniarum Regi terras illas donasse: eoque se missum, vt possessionem earum caperet. nec tamen propositum sibi veteres colonos suis exturbare sedibus; modo Christianam amplectantur religionem, & quamuis exiguum Regi suo tributum annuum persoluant. Postulata hæc Caribes risu exceperunt, atque illud quod Atabalipa quoque Pizarro respondisse dicitur replicârunt. Quæ de vno Deo dixerit interpres, non sibi displicere; nec tamen propterea ritus suos & sacra tot iam sæculis vsitata velle deserere. Miram Papæ sibi videri liberalitatem, qui quod suum non esset largiretur; aut magnam certe stultitiam qui ea promitteret quæ tradere nunquam posset. Sed & Hispaniarum Regis aut magnam esse inopiam, vtpote in tam remotis locis imperium & alia quibus opus haberet quærentis; aut insignem confidentiam ac superbiam, ijs quorum

Eorum responsum.

quorum

quorum virtutem non nosset, minitantis. Quod si vim ipsis facere Ancisus ausus fuerit, se caput eius humeris ablatum conto infixuros, quod multis alijs hostibus hactenus fecerint, &c. At nihil hac barbarorum confidentia territi Hispani, quanto pauciores, tanto armis & belli vsu longe superiores, breui temporis spacio barbaros subegerunt. Vrabiensis sinus à Carthagine distat LXX. milliaria, de qua sequenti capite.

CAPVT X.

Carthaginiensis Hispanorum in America coloniæ descriptio.

Carthago vnde nomẽ habeat.

Carthago siue Carthagena nomen habet à Carthagine Hispaniæ oppido, vel quod portus huius ostio insula quædam, Codego Indis dicta, velut Scombria Carthagini prætendatur, vel quod prima huc deducta colonia magna ex parte Hispanos habuerit Carthagine oriundos. Ante Hispanorum aduentum magnus piscatorum numerus circa has oras habitauit: quorum vix vllæ hodie supersunt reliquiæ. Litoralis enim ora piscibus mirum in modum abundat; terra quoque omnia ad victum necessaria abunde profert. In eo ciuiliores fuerunt reliquis Indiæ populis, quod tam viri quam mulieres pudenda sedulo velabant. Ad bellum tam viris quã feminis exire mos erat. Aiunt in eo bello quod

Ancisus contra Zenuenses Carthaginiensium vicinos, gessit, feminam captam, quæ etsi vix XX. annos nata, sua manu XXVIII. Christianos trucidarat. Sagittis vtuntur veneno infectis. Carnibus hostium vescuntur: hocque modo non paucos Hispanos sepeliuerunt. Merces illis præcipuæ, sal, pisces, piper: cuius tota maritima ora ferax admodum est, oblonga figura, ac saporis acrimonia Brasilianum vincens. Olim quidem nec sua eis cimelia & corporis ornamenta defuerunt, armillæ scilicet, torques, monilia ex auro, vnionibus, aut smaragdis: quæ publicis festis aut ludis gestabant: nullam tamen rem maioris æstimabant, quam quæ victui apta esset. Narrat Benzo se famelicum ab Indo quodam pullum gallinaceum licitatum. Quærenti quid pro eo dare vellet, monetam argenteam ostendisse. Tum Indum monetam ori admotam quum præduram deprehendisset: Quid tu, inepte, esculentum à me postulas, & mihi rem obtrudis ad victum nihil omnino facientem.

Rio grãde fluuius.

Inter Carthaginem & Sanctæ Marthæ fanum fluuius quidam Rio grande vulgo dictus, tanta vi, hyeme præsertim, in mare erumpit, vt maris æstum satis longo spacio repellat & submoueat, adeo vt præternauigantes quasi in ipso mari dulcem haurire aquam possunt.

Ad hoc flumen Bagotam versus (quæ Granatæ regnum hodie) gemmarum sunt fodinę, in valle Tunia, non procul ab hac de qua diximus Noua Noui Orbis Carthagine. Vallis huius

huius incolæ, vt & vicini populi, ſolem tanta habent in veneratione, vt defixis eum oculis obtueri, religioni habeant. Lunam quoque diuinis colunt honoribus. Sed illum multo magis. In bello, loco noſtratium vexillorum oblongis perticis alligata eorum oſſa circumferunt, qui bello ſtrenui apud illos fuerunt habiti. Arma illis tela è palmæ ligno acuta,& gladij è ſaxo. Reges torquibus ex auro & gemmis redimitos ſepulcris inferunt, ijſque panem & vinum apponunt. Ea res fecit vt Hiſpani multa eiuſmodi ſepulcra aperuerint, & mortuos ſpoliarint. Olim iuxta hunc fluuium anthropophagi vbique habitarunt. In bellum profecturi idolum quod Chiappen vocant, tamquam victoriæ arbitrum ſecum vehebant: cui etiam ante bellum humanas hoſtias immolabant, earumque ſanguine idolum illinebant. idem etiam fiebat, quando cum victoria rediјſſent. Victi, taciti ac triſtes murmurabant, idolo nihilominus ſuis ritibus ſupplicabant, vt meliorem fortunam ſibi poſthac largiri vellet.

CAPVT XI.

S. *Marthæ coloniæ & regionum circa eam descriptio.*

S. Martha in Continenti quoque siue Terra firma Hispanorum est colonia, sub XI. gradu citra AEquinoctialem sita, L. circiter à Carthagine distans milliaribus. Tanta hic altitudine rupes sunt, vt in tanto æstu quantum in tanta solis vicinitate esse credibile est, cacumina perpetuis niuibus obtecta iaceant: adeo vt ea procul in mari nauigantibus appareant, & portus huius faciant indicium. Regionem hanc Anno MD XXIV. Rodericus Bastides primus detexit, cum vitæ etiam iactura, quæ tamen non à barbaris, sed à suisipsius militibus ipsi erepta est, quinque vulneribus, dum dormit, confosso. Gens bellicosa est & supra modum ferox; qui Hispanos in terram egressos sæpius repulerunt; immo ad naues oppugnandos vltrò sese immiserunt; nec destituri videbantur, nisi insitato tormentorum boatu attoniti, tamquam diuina terrēte ira, terga tandem vertissent. Portus huius ambitus trium est Hispanicorum milliarium, fida admodum nauibus statio, sine vllis scopulis aut vadis. Nullibi olim copiosior piscatus quam hoc in loco: quæ etiam præcipua fuit accolarum negociatio. Gemmæ hic quoque reperiuntur, smaragdi imprimis, Chalcedonij, Iaspides, &c. itemque aurum & vniones

Rodericus Bestides interfectus

nes

nes. Regiones in quibus portus hi, Carthaginienſis nempe, & S Marthæ, iacent, Caramaria & Sa turma olim dicebantur: quarum vtraque amœnitate vix vlli cedit. In S. Marthæ oppido pleræque domus ex iunco aut vimine ſunt contextæ, quarum parietes diuerſos oſtendunt colores. Tapetia quoque habent aliaſque ſtragulas veſtes, quibus Leonum, aquilarum aliarumque beſtiarum, & florum etiam figuræ ſunt intextæ.

A S. Marthæ oppido vſque ad Caput veli, *L.* numerantur milliaria. Sinus hic poſitus eſt ſub XII. gradu, abeſt à S. Dominici inſula milliaribus centum. Inter S. Marthæ fanum & Caput Veli ſequentia loca iacent: Caput Guiæ ſiue Acus magnetici, Ancon (id eſt portus apertus) Gachæ, Rio de Palominas, Rio de la Hacha, id eſt, Facis fluuius, Rio de Piedras (fluuius ſaxoſus) Lacus Sancti Ioannis, &cæt. A Capite Veli ad aliud Caput Coquibocoa appellatum, milliaria ſunt XL. Poſt hæc initium ſumit ſinus Venezuelanus, qui ambitu ſuo vſque ad Caput S. Romani, LXXX. complectitur milliaria.

CAPVT

CAPVT XII.

Venezuelæ, id est, paruarum Venetiarum descriptio.

OMnis ille Caput Veli & sinum Pariꝰ anum interiacens tractus à Christo phoro Columbo Anno MCDVIII. detectus fuit. Primus Venezuelæ Præfectus, Germanus fuit, Ambrosius Alfingerus nomine, à Velseris, quibus Hispaniarum Rex siue Imperator Carolus V. locum hunc hypothecę loco assignarat, eò missus. Is cum suis miserrima morte periit. Tam dira enim fame conflictati sunt, vt non canes tantum, sed barbaros etiam quosdam deuorarint. Alfingerus tandem venenatæ sagittæ ictu fuit extinctus. Ciuitas hæc Episcopali gaudet dignitate. nomen habet, quod instar Venetiarum in lacu sit, condita, qui Maracaibo incolis dicitur. Feminæ hic cultiores. Mamillas & brachia certis tingunt coloribus, toto corpore nudæ, nisi quod pudenda panno gossypino tegunt. Vt nudum femen ostendere illis probrosum est; ita pro maxima illæ interpretātur iniuria, si quis velum illud vel paullum amouere, aut etiam attingere audeat. Viri illud quo sunt, intra con has condunt. Olim Sathanam ea quæ ipsis forte apparuerat, forma & figura colebant. Arma illis sagittæ toxico infectæ, lanceæ XXV. palmas longæ, cultri ex arundinibus, clypei ex corticibus arborum, aut corio. Sacerdotes, medicorum quoque funguntur officio. Aegros ad quos vocati fuerint, rogāt, num confi-

Velserarū in America præfecti.

confidant fore vt ab ipsis sanitati restituantur. Affirmantibus, manum vlceri aut morbido mẽbro imponunt,ac magna & absona voce Deos cient. Si æger non conualuerit ,aut ægri incredulitatem. aut Deorum iram,& mille talia causantur. Regulos suos siue toparchas inusitato sane modo sepeliunt. Primum enim virtutes eorũ & fortia facinora multis lamentis celebrant deinde cadauer assatum, in mortario minutatim contundunt,ac puluerem vino iniectum potant. Isque præcipuus habetur honos.

A Venezuela ad Caput S. Romani,LXXX.numerantur milliaria: ab hoc ad sinum Tristem, sunt L. quo in spacio Curiana iacet..

CAPVT XIII.

Curianæ regionis continens descriptionem.

CVrianæ portus Gaditano in Hispania non valde est absimilis. Olim octo circiter tuguria in litore hoc stabãt, at paullo interius ingens erat pagus, cuius incolæ nudi quidem & barbari, sed simplices, ac præter barbarorum morem comes atque hospitales, Hispanos primum eo appulsos magno cum gaudio & alacritate exceperunt. Quæstuosa Hispanis prima hic fuit negotiatio; quippe qui pro re minimi precij, vniones siue margaritas,aliaque quibus opus habebant,accepetunt. Magna hic auium est multitudo , vt & ferarũ, ceruoru scilicet,aprorũ,cuniculorũ.&c. quos illi certis ac destinatis sagittarum ictibus

Curianæ incolæ humani.

con

configendi insigni peritia sunt præditi. Domus illis è iunco, palmarum tectæ foliis, in quibus cubantes, horribiles ferarum rugitus noctu sine vllo metu audiunt. Quamuis enim tota regio feris abundet, etiam ijs quæ alibi certam hominibus afferunt perniciem: numquam tamen Curianorum quemquam vllius earum dentib. discerptum aut vngulis obtritum ferunt, quamuis solo arcu & sagittis armati, in syluis longe lateque venandi studio oberrent. Plerique omnes torques è margaritis circa collum gestabant, cui effigies aut auiculæ aut bestiæ alicuius ex auro appensæ erant. Rogantibus Hispanis, an aurũ apud ipsos reperiretur, nutibus & signis aliunde id adferri significarunt; atque illud simul; nó tutum illis fore eò proficisci, quod qui illud haberent, anthropophagi essent.

Locorum nomina & distantia.

Inter Caput S Romani & sinum Tristem iacẽt, Core, Taratara, F. Seca. A Sinu Tristi ad sinum Cariarim, C. numerantur milliaria: in quo spacio multi sunt portus, inprimis portus Cannæ fistulæ, portus Flechado, id est, sagittarum, portus Mortuorum, Caput Ioannis Blanci, Caput Colheræ, fluuius Dunari, Insula de Pirico, Maracapana, Chelheribiche, S. Fides, Fluuius Cumanæ, Araia, Cumana & Maracapana. Huic oræ vniuersæ, multæ prætenduntur insulæ, quarum præcipuæ sunt, Monachorum insula, Quiracao, insula Buen aire, id est boni aeris, Rupia, Auicularia, Tortuga, ac tandem Cubagua siue margaritarum insula. Sed antequam hanc describere aggrediar, prius de Cumana & Maracapana aliquid dicemus.

CAP.

CAPVT XIV.

Cumanæ & Maracapanæ descriptio.

CVmana & fluuius est, & regio ab eo dicta: in qua oppidum est, Hispanorum colonia, & monachorum cœnobium. Huius incolæ olim & ipsi nudi incedebant, nisi quod genitalia cucurbitis aut arundinibus inserta gestabant, feminæ vero gossypio velabant. In bellum egressuri, pallium tamquam paludamentum; induebant; tum totum corpus, succo quodam adglutinante, plumis versicoloribus ornabant. Pilos omnes euellunt: dentibus herbæ cuiusdam succo nigredinem conciliant: quos qui nigerrimos habet, is formosissimus habetur. Huius succi beneficio ijdem ab omnibus dentium & gingiuæ doloribus sunt immunes. Feminæ hic caste viuunt; & in adulterio depræhensæ repudiantur, aut alijs modis puniuntur. Eædem agros colunt, & domestica opera exsequuntur. Viri à bello vacui, in venatione & piscatione sunt assidui. Locuplesiores quot volunt vxores ducunt: quarum formosissimas hospitibus dant vtendas. Tam pueri quam puellæ à teneris vnguiculis in sagittandi arte exercentur. Cibus ipsis ingentes lacertæ, vespertiliones, cancri, etiam araneæ, pediculi, & si quid magis sordidum. Quæ gulæ intemperies vel immundities potius tanto magis in eis mira est, quod optimis fructibus, vt pane, vino, piscibus, carnibus, &c. minime destituantur. Reliquorum Indorum more saltati-

Dentes nigri decori apud Indos.

onibus & potationibus mirum in modum delectantur, adeo vt eiuſmodi feſtis totum octiduum ſæpe conſumant. Quum ad publicas eiuſmodi epulas aut Regum coronationes conueniunt, primũ varias ſaltationes & geſticulationes quinque aut ſex horis continuis obeunt, ac tanto fortior habetur quanto diutius quis perſeuerarit. Inde decuſſatim ſartorum more ſedentes, circumpotant, vbi itidem palma eſt penes eum qui multos cantharos impigerrime hauſerit, & ceteros in eo vicerit. Idololatræ ſunt. Solem & Lunam adorant; hanc feminam, illum maritum eſſe dictitantes: Tonitrua & fulgura pro ſolis irati minis interpretantur. Lunæ eclipſes, tamquam irati numinis minas, ieiunijs expiare ſtudent. Cometas item valde metuunt, & magnum malum portendere autumant. Infantibus contra incantationes ſigna quædam Burgundicæ crucis formam referentia, pro amuletis appendunt. Sacerdotibus ius virginalem earum quæ nubunt, zonam ſoluere. Ijdem pro medicis ſe venditant, magiciſque artibus valde ſunt dediti.

CAPVT XV.

Cubaguæ ſiue margaritarum Inſulæ deſcriptio.

INſula hæc tria ambitu ſuo complectitur milliaria, ſub XII. & dimidiato gradu citra AEquinoctialem ſita; IV. milliaribus à Punta de Aria abeſt, quę regio ſale è marinis fluctibus abundat. Etſi vero inſulæ huius ſolum magna ex parte planum eſt,

ſiccum

ſiccum tamen eſt & ſterile, caretque aquis & arboribus: nec quidquam ad victum pertinētium ibi fere reperitur, prӕter cuniculos, & aues quaſdam mari aſſuetas. Incolæ varijs coloribus corpus pingunt. Oſtreas edunt, è quibus margaritæ eximuntur. Aquam recentem, quâ inſula, vti diximus, caret, è cōtinenti petunt, proque ea margaritas dependunt. Nullam nihilominus toto orbe ferunt reperiri inſulā, quæ in tātillo terræ ſpacio maioribus diuitiis & Hiſpanicas & vicinas regiones locupletarit. Margaritarum inde allatarū precium, vicies centena aureorū millia excedere fertur: quamuis earum piſcatio multos Hiſpanos, ſed infinita fere Indica abſumpſerit mancipia.

Ingentes huius inſulæ diuitiæ.

A Puncto de Aria vſque ad ſalinarum Caput, LXX ſunt milliaria, inter quӕ Caribes & Caput triū Punctorum ſiue angulorum interiacent. A Capite ſalinarum vſque ad Portum Anegado, totidem ac paullo plura ſunt milliaria. Inde ſinus Pariӕ ſequitur, qui vna cum inſula S. Trinitatis, Pariæ conſtituit regionem.

CAPVT XVI.

Inſulæ Trinitatis & Pariæ regionis deſcriptio.

IN ſinu Parienſi ſita eſt Trinitatis inſula, quæ nomen à voto accepit quod Columbus in ſecunda ſua nauigatione, magno in periculo S. Trinitati fecerat: vel vt quidam volunt, quod aquā recentem quӕrens, ſociis ſiti ferme pereuntibus, tres in hac inſula mōtes cōſpexerit. Oſtium huius ſinus Os Draconis, ab inſano ӕſtus marini impetu appellatur. Vniuerſus Pariӕ tractus ad Auſtrū vergē‹, tā amœ

Os Draconis.

nus tamque fertilis eſt, vt terreſtrem Paradiſum hic fuiſſe quidam autumant. Longe lateque patet, in planum fere vbique exporrectus, gleba ſupra modum fertili, & varios flores ac herbas partim grati partim ingrati odoris producente. Arbores hic perpetuo virent: quamuis earum fructus nec adeo multi ſint, nec valde ſalubres. Caſſia tamen fiſtula hic copioſe prouenit. Tam aer quam terra & calida eſt & humida: vnde varij generis vermes generantur, qui noctu præſertim, homines infeſtant. Veretrum aut cucurbitis aut arundinibus tamquã vaginæ inſertum geſtant; cetera foris appendent. Ante Hiſpanorum aduentum fuerunt, qui conditoria eiuſmodi peculij ſui auro & margaritis exornarent: quem morem Hiſpani ipſos dedocuerunt. Feminæ pudenda velo, Pampanilla ipſis dicto, celabant. Reges quot volunt vxores ducunt: vna tamen modo legitima putatur, quæ & in cæteras imperium habet. Reliqui tribus aut quatuor contenti ſunt: quas ad ſenium prouectas, ſuas ſibi res habere iubent, ac loco earum iuuenculas ducunt. Primus pudicitiæ flos omnium à Piacchis ſiue ſacerdotibus delibatur. Magnam partem piſcibus & Maizio ſiue frumento Indico viuunt, itemque fructibus & radicibus nonnullis. nec à ſordibus abſtinent, pediculis ſcilicet, ranis, vermibus; immo nec à carnibus humanis. Dentes vnguẽto quodam atros ſimul & ab omnibus doloribus immunes reddunt. Nares, labia & aures perforant: corpus vero rubro & atro colore è ſucco herbarum quorundam pingunt. Lectos reliquorum Indorum more concinnant, inque

Incolarũ habitus & mores.

ijs

ijs ad duos palos vel arborum ramos appensis dormiunt,&c. Oram hanc, vt & alias multas, Hispani ad solitudinem pæne redegerunt, plerisque incolarum in Cubaguam ad margaritarum piscationem. aut alio ad auri effossionem abductis. At iam & ipsum mare & terræ viscera tam expetitis rebus carent, vt exinanita quodammodo videantur: nisi forte Deus tantæ inhumanitatis ansam Hispanis voluerit præcidere. Sed iam præcipua tractus huius litoralis ad fretum vsque Magellanicum loca eorumque distantiam indicemus.

A Portu Anegado (id est, demerso) sub VIII. gradu posito, ad flumen dulce sub IX. gradu, L. sunt milliaria. A flumine Dulci vsque ad Orellanam siue Amazonum fluuium milliaria numerantur CX. Ita in vniuersum à Nominis Dei ciuitate vsque ad fluuium hunc Orellanam milliaria censentur 800. Hispanica, vel 2300. Italica: cuius ostium ad xv. milliaria patere dicunt. Inter portum vero Anegadum & Orellanæ ostium sequentia sunt loca. Flumen grande, Flumen Dulce, Flumen Canoarum (id est vnilignearum Indicarum nauicularum) Caput de Corrientes, id est, æstus siue torrentum, Aldea pagus, Caput Farillonum siue scopulorum, Flumen Anconum (id est portuum apertorum) Flumen Lacertorum siue Crocodilorum, Flumen Vincentij Pinzoni, Flumen Caciquorum (id est regulorum) Costa braua vel Ora vasta, aliud Caput de Corrientes siue torrentum, Flumen Caribum, Flumen Canoarum, Flumen de Arboledas, id est, arborum, Flumen Montium, Flumen vadorum siue Breuium, Sinus Canoarũ,

ſiue nauicularius, Atalaia vel Excubiæ, Flumen Fumi, Flumen Breuium, Caput ſiue promontorium de Nort ſeu Septemtrionale.

CAPVT XVII.

Orellanæ vel Maragnonis fluuii, & reliqui tractus vſque ad promontorium S. Auguſtini dimenſio.

Orellana fluuius maximus.

NON procul à promontorio quod del Nort, id eſt ſeptemtrionale vulgo vocant, Orellana non Americæ tantum verum etiam totius Orbis, vt creditur, maximus fluuius in mare exit. Eum fluuium quidam à magnitudine mare dulce vocant, quum oſtium eius, vt ſupra indicauimus, XV. pateat Hiſpanica milliaria. Hunc & Maragnonem ijſdem oriri fontibus, ad Mullabambam ſcilicet in montibus Quitonicis, ſunt qui aſſeuerent. Orellana quidem curſu ſuo ſub Aequinoctiali fere incedit, longiſſimo terrarum ſpacio, vtpote ad M D. milliaria Hiſpanica, nō quidem recto terrarū tractu (ad fontes enim eius ab Oceano ſeptingenta tantum numerantur milliaria Hiſpanica) ſed ob continuos fere flexus & mæandros. Idem in regionis interioribus, quatuor alibi, nonnullibi quinque aut etiam plura milliaria latitudine ſua complectitur, multaſq; facit inſulas. De Amazonibus hiſtoriæ quæ (ſi Orellano & aliis fides) circa flumen hoc habitant, nec adſtruere hic nec adimere fidem eſt animus.

Maragno fluuius ab Orellana, vt quidam volunt, C. milliaribus diſtat, eſtque ſub II. gradu vltra Aequinoctialem ſitus. Ripa eius thus profert,

profert, Arabico melius. Gemmarum quoque aliquot species hic reperiuntur, vt & aurum. Potum è variis fructibus conficiunt, quique ætatē fert. Viri inaures gestant: & labijs perforatis annulos appendunt, egregium scilicet oris ornamentum. In lectis reticulorum more è gossypio factis, & ad arborū ramos appensis, dormiūt, qui cubandi mos à Nominis Dei ciuitate vsque ad fretum Magellanicum vsitatur. Muscæ ibi reperiuntur, quarum morsus, nisi aculei statim eximantur, membris læsis perpetuum affert torporem. Vtrum vero fluuius hic idem sit cum Orellana, & ijsdem oriatur fontibus, nihil dum certi compertum aiunt.

A Maragnone ad Terram Fumi, C. itidem numerantur milliaria. Inde ad Angram de S. Lucar itidem C. ac porro ad Caput S. Augustini, LXX.

Locorum nomina. Ora ergo litoralis à Maragnone fl. vsque ad dictum Caput siue promontorium S. Augustini hæc cōplectitur loca: Insulam S. Sebastiani, inde est Ascensio, Portus de Pracel, id est, Breuium, Portus de Corrientes, id est, torrentis siue æstus, Fluuius insularum, Fl. Coronæ, Caput Ostrearum, Fluuius S. Michaelis, sinus Tortugarum, sinus magnus, Caput S. Rochi, Caput S. Raphaelis, Sinus Traicam, id est, proditionis, Paraiba, Petiguates, Pernambuco, inde Caput S. Augustini, à Vincentio Ioannis Pinzono mense Ianuario M.D. detectum.

CAPVT XVI.

Brasiliæ populi, eorum mores, habitus, religio, &c.

TOtius Americæ maxima prouincia BRASILIA est, à tinctorio ligno, quod magna inde copia aduehitur, vt supra quoque indicauimus, appellata. Quamuis autem maximam eius partem Lusitani detexerint; Galli tamen etiam hic nidulari conati sunt, populis aliquot barbarorum fœdere sibi iunctis. Vnde capitales inimicitiæ inter vtramque gentem exarserunt, ac bellum etiam, sicubi quis in alterum inciderat, cum multorum cædibus gestū. Tota vero hæc regio quæ quidem in Lusitanorū sit ditione, secundum maris litus, ad septingēta cōplectitur milliaria. Præcipui populi (neq; tamē adhuc interiora regionis satis nota sunt) Margaiates, Tabaiarres, Ouecatates, Tupinambantij, & Morpiones dicuntur; omnes insigni ferocitate bestiis magis quam hominibus similes, vt qui nihil in vita laudabilius putent quam hostem cædere, ac nihil dulcius, quam eorum carnibus vesci. Sed iam præcipuas litoralis tractus oras describamus.

Brasiliæ populi.

Non procul à promontorio S. Augustini abest Pernambucum, Lusitanorum nauigationibus celebris portus, vnde illi saccharum & lignum Brasilianum aduehunt. Promontorium hoc

hoc positum est sub gradu VIII. vltra Aequinoctialem, eius detectio Vincentio Ioanni Pinzono debetur. Omnium locorum hic maxime Africæ & Hispaniæ vicinus est: vt qui à Capitis Vridis in Africa promontorio vix quingenta milliaria absit: quod spacium alij multo quoque minus faciunt.

Locorum dimensio.

A Capite S. Augustini ad Sinum Omnium Sanctorum, sub XIII. gradu posito, centum ferme computantur milliaria. Inter vtrumque locum iacent, S. Alexij, S. Michaelis fluuij, Fluuius Aquationis, Fluuius Francisci, Fluuius Cannæ Fistulæ, quæ non minus copiose ibi quam in AEgypto prouenit, Fluuius Regius, Fluuius Tapuã, Pouoacam pagus, atq; inde Sinus Omnium Sanctorum.

A Sinu hoc ad Caput dos Abrolhos siue Baixos, id est, vadorum siue Breuium (quæ sub gradu XVIII & paullo vlterius iacent) centum itidem nnmerantur milliaria: quo spacio sequentia loca includuntur, Fluuius S. Iuliani, Insulæ Os Ilhos vulgo dictæ, Fluuius Sancti Antonij, Sinus Sanctæ Crucis, Portus securus, Fluuius Brasilianus, Fluuius Carauelarum, &cæt.

Margaiates.

MArgaiates anthropophagi, Lusitanis confederati sunt. Regio quam inhabitant tam æstate quam hyeme perpetuo viret. Tam viri quam feminæ nudi incedunt, ita vti in lucem prodierunt. Coruus atro colore inficiunt, vt apud nos plani illi siue AEgyptij aut Tartari. Viri monachorum in modum sinciput radunt,

occiput vero capillatum habent. Labra perforant, & foramini lapillos inferunt, aut officula: quibus exemtis, quasi bina habere ora videntur. Feminæ nostratium more comam promittunt, nec labra, sed aures perforant, &c.

A Capite dos Baixos ad Caput Frio, quod insulæ speciem habet, centum putantur milliaria. Inter duo hæc promontoria complures fluuij & portus includuntur. Præcipui sunt, del Aguado, id est Portus Aquationis, Fluuius Dulcis, Fluuius trium Magorum siue Regum, Fluuius Spiritus sancti, ad quem Lusitani arcem habent, à barbaris, siue Margaiatibus Moab appellatam. Ab arce Moab litus legentibus Tapenuri occurrit, vbi insulæ aliquot iacent, quarum incolæ Gallis sunt confederati. Sequitur Paraiba, cuius incolæ in tugurijs ad instar nostrorum furnorum in quibus panes pinsuntur, factis, habitant. Inde nauigantibus formidabiles sunt arenarum cumuli & scopuli.

Ouetacates.

AB his scopulis Ouetacatum incipit regio, XX. circiter milliarium spacio comprehensa. Tanta feritate sunt, vt non in vicinos tantum, verum suos etiam sæuiant. Peregrinorum vix quemquam ferunt, atque omne commercium aspernantur. Hostibus vrgentibus (à quibus numquam victi sunt) admirabili pedum velocitate periculis sese eripiunt, qua etiam ceruos vincere dicuntur. Contra reliquorum Brasiliensium morem, comas nutriunt, ad vmbilicum vsque propendentes. Carnes

crudas

crudas canum more vorant. Nostratium rerum vix quidquam habent; cum vicinis tamen interdum res quasdam permutant: quæ permutatio hoc fit modo. Consistunt vtrimque centum circiter passibus alter ab altero, & suam quisq; deponit mercem, & alteri digito demonstrat. Ea si placeat, alter suam quoque deponit, atque ita quisque quod petit aufert. Ad suum inde locum reuersi, statim de eripienda alteri tradita merce cogitant: qua in re Ouetacates, vtpote perniciores, superiores plerumque ac cum præda tam sua quam aliena discedunt.

Oueatacatum regionem Maquensis excipit prouincia, cuius incolæ & ipsi quidem feri admodum sunt, Ouetacates tamen, à quibus sæpe ex improuiso inuaduntur & abducuntur, valde formidant. Ad hanc oram quasi ex ipso mari rupes quædam præalta, instar turris, exsurgit, quæ solis radijs illustrata, admirabilem splendorem, tamquam solida smaragdus (vnde quoque à Gallis & Lusitanis Maghensis, id est, Smaragdinæ nomen accepit) de se iacit. Dici non potest quantis laboribus nostrates eò penetrare conati sint: sed nullibi patet aditus. quin etiam si quis ad ipsam rupem peruenerit, nulla tamen in eam altius ascendendi datur facultas. Ad hanc rupem insula est deserta quidem ab hominum cultu, sed tanta auium referta copia, vt manibus capi possint.

CAP.

CAPVT XVI.

Promontorij Frienſis & Sinus Formoſi deſcriptio.

SEquitur Frienſe promontorium, Gallorum nauigationibus notum, circa quod eorum amici ſiue confederati Toupinambantij habitant. Ora hæc prægrandibus cetibus ſiue balænis infeſtatur, quæ Latinis Priſtes quibuſdam dicuntur. Sed & magna hic eſt pſittacorum multitudo, ſturnatim vt apud nos cornices, paſſim volitantium. Non procul inde abeſt ſinus maris Ganabara vulgo, à Luſitanis fluuius Ianuarij dictus, quod eo menſe primum inuentus ſit: tum ſinus Formoſus. Sinus hic Gallis valde notus eſt, vtpote qui aliquot annis hic negocia exercuerunt, atque etiam munimentum excitarunt. Poſitus eſt hic fluuius ſub gradu XXIII. vltra AEquinoctialem Auſtrum verſus, ſub ipſi Capricorni Tropico. Oſtium eius ſex patet milliaria; paullo interius, quatuor aut tria. Aditus valde periculoſus eſt. è mari enim ad illum tendentibus tres deſertæ obijciuntur inſulæ, quarum ſcopuli valde ſunt formidabiles. Sed & caput quoddam ſiue in mare à Continenti protenſa rupes præternauigãda eſt, tam anguſto ſpacio vt id omne quod tutum præſtat aditum, vix trecentos paſſus latum ſit. Rupes hæc pyramidalem præfert figuram, quam Galli Ollam butyri dixere. Paullo vlterius in ipſo ſinu

ſinu alia rupes eſt C X X. paſſus ambitu ſuo cō-
prehendens, ab ijſdem Gallis Muſcipula ap-
pellata: in qua eorum dux Villagagno ſarcinas
ſuas expoſuit,& arcem ibi exſtruere conatus eſt,
ſed à marinorum, fluctuum vehementia diſce-
dere inde coactus fuit. Vlterius inſula iacet à
Gallis quondam occupata,ambitu ſuo mille cir
citer paſſus continens,ita tamen vt ſextuplo la-
tior ſit quam longior. In medio inſulæ collis
eminet,L. aut LX. pedum altitudine: cui Villa
gagno prætorium impoſuit, Colignium à Gal-
lici tum thalaſſiarchi nomine, indita appellati
ne. Gallorum quos Villagagno tum ſecum habe-
bat,numerus erat ad LXXX.circiter:de quorum
fortuna infra aliquid delibabimus. Decem paſ-
ſuum millibus inde alia iacet inſula,fertilis ad-
modum,tria in circuitu complectens milliaria,
ac propterea à Gallis illius reſpectu, Maior di-
cta. Sed & multæ aliæ in hoc ſinu paſſim con-
ſpiciuntur inſulæ,in quibus vix quidquam ali-
cuius precij reperias,præter oſtreas, à barbaris
in cibum expetitas. In eundem ſinum duo aquę
dulcis fluuij è regionis interioribus ſeſe effun-
dunt, ad cuius vtriuſque ripas frequentes ſunt
Toupinambautiorum pagi. Secundum litora-
lem hunc tractum verſus Argenteum fluuium,
Rio de Plata vulgo dictum, alius ſinus, iſque ſa-
tis amplus,occurrit, Vaſarum à Gallis dictus,
quorum ad eundem frequentes olim
fuerunt nauigationes.

Arx Colinia à Gallis exſtructa.

CAPVT

CAPVT XIX.

De Toupinambautiorum moribus, &c.

TOupinambautij ſtatura & corporis modulo Europæis ferme ſunt ſimiles, multo tamen firmiores ac ſaniores, ita vt inter eos vix vllum morbidum aut monſtroſa corporis figura aut vitio inſignem reperire ſit. Tam longæui ſunt, vt cẽtum & triginta annorum ætatem attingant, atque etiam ſuperent. Pauci canos habent: quod quidem certum eſt ſalubris ac bene temperati aeris indicium. Perpetuum ibi ver, & ſemper vernans ager, & viridantes arbores. Et quia gens hæc in diem quaſi ac ſine vllis curis ac ſollicitudinibus degunt, nullas ſenectutis aut effeſi corporis ſentiunt moleſtias. Nullæ apud hos aquæ putres aut turbidæ, è quorum & potu & putore multi exſiſtunt morbi: ſed & nullis prauis animi agitantur motibus (qui & corpus excarnificant, & ſpiritus conſumunt; quales ſunt, inuidia, auaritia, rixæ, odium, &c.) quibus miſere nos quamuis Chriſtiani, tam animo quam corpore torquemur. Mira omnes peritia iaculis quidquid propoſitum eſt feriendi, ſunt præditi. Feras non ſagittis tantum conficiunt, verum etiam tendiculis & retibus capiunt. Tam animalium quam auium ſolitas voces & cantum adeo graphice imitantur, vt hac ratione eas decipiant. Ignem non è ſilicis percuſſione, ſed duorum

duorum lignorum, quorum alterum durum, alterum molle est, attritu eliciunt. Carnibus assis plerumque vescuntur; quas ligneis cratibus, Boucan ipsorum lingua dictis imponunt. Domos siue habitationes frequenter transferunt, instar Scytharum hamaxobiorum; prout loci commoditas suaserit. Casas suas ligneis sepibus muniunt, contra inopinatos hostium, vt & bestiarum assultus; atque easdem multis lentibus innectunt. Totam noctem ignem habent; interdiu vero extinguunt. Pro cultris & aliis ferramentis, bestiarum dentibus vtuntur. Sine arcu & sagittis nusquam prodeunt. A venatione vix vnquam vacui reuertuntur. Quid quod pisces quoque eadem qua feras ratione venantur. Ad litus enim stantes vel incedentes, quemcumque conspexerint piscem, feriunt: deinde in aquam atque etiam ad ipsum vsque fundum sese demittentes extrahunt. Retia quoque habent, è foliorum quorumdam filis contexta, quibus si piscari velint, aliquammulti loca inter se partiuntur. mox retibus qua commodum videtur positis, quidam oblongis perticis aquam percutiunt, hacque ratione pisces in retia compellunt. Qui suo reti plus ceperit, aliis impertit. Vestibus ijs vtuntur quibus primi nostri parentes ante lapsum in paradiso. Color illis non ater, sed fuscus. Pilis horrentem ita vti à quibusdam olim picti fuerunt, cutem non habent: immo non barbam tantum, verum etiam supercilia diligenter abradunt. Ad quam rem forficulas à Lusitanis & Gallis eò allatas, valde expetunt; aut vnguibus, quos oblongos alunt, crines euellunt.

Occiput

Occiput tamen crinibus tegunt. Labia itidem vt Ouetacates & ceteri Brasiliani perforant, foramini inserto lapillo. Simis plerique sunt naribus, non tam natura, quam humana industria, quod hi tales formosi habeantur. Monilia è candentibus ossiculis affabre concinnata gestāt. Totum vero corpus variis coloribus inficiunt. Gallinas habent, nostratibus non absimiles. Earum plumas candidas rubro colore tingunt, ac dein corpori tenaci succo ita agglutinant, vt tota cutis pilis obsita videatur. vnde fortassis eorum error, qui pilosos homines in his regionibus habitare finxerunt. Sed & varium habent è pennis versicoloribus ornatum, viri præsertim, quo in bello præcipue & publicis festis, captiuum aliquem epulaturi, vtuntur. Duo radicum, in quibus præcipuus eorum victus cōsistit, habēt genera: quæ intra tres aut quatuor menses in miram magnitudinem adolescunt. Has effossas feminæ (quarum proprius hic labor est) ad ignem torrefaciunt, ac deinde minutatim contundunt. Farinam hanc ollis ex argilla inditā, tamdiu coquunt quoad puls fiat. Hic ipsorum panis est: quo duplici vtuntur, duro scilicet, quem ad bellum profecturi pro comeatu secū vehunt; & molliori, quo domi vescuntur. Ex vtraque, addita carne pinguiuscula, puls non ingrati saporis paratur. Sed & alterum radicis genus Aypi ipsis dictum, assant, & veluti nos castaneas (quarum saporem fere habent) edunt. In his radicibus nihil magis mirum quam cultura, quæ tam facilis est, vt vel tenuissimæ particulę in terram defixæ, intra paucos menses, sine vllo alio cultu, magnos truncos ac ramos procreēt.

Cibus & potus Brasiliensium.

Nec

Nec Maizium siue Indicum frumentum, Anati ipsis dictum, deest: è quo non panem tantum & pultem, sed & potum (vt & radicibus)conficiunt, hoc modo. Feminæ (nam & huius laboris nullam partem viri attingunt) radices in frusta, vt nos rapa solemus, concidunt; ea deinde in ollas conijciunt, atque elixant. Elixa ore mandunt, atque ita commansa in aliam ollam inijciunt: quæ rursus igni admouent; ac quantum satis videtur cocta, dein rursus alijs vasis infundunt, ac despumatum, ad futura conuiuia condunt. Eodem modo è Maizio siue Indico frumento potum vetulæ conficiunt: qui tamen turbidus est, & crassiusculus, lactis saporem habens. Iam conuiuium celebrantes, feminæ ignem circa ollas illas excitant; ac cauis inde cucurbitis tepidum potum haustum, viris in orbem saltantibus porrigunt, qui nihil intermissa saltatione, strenue eumdem singuli exhauriunt: idque non tantum totis diebus, verum etiam triduo & quatriduo continuant. Ineptas eorum gesticulationes, cantilenas & & eiusmodi hic recensere non minus ineptum sit: illud tamen mirum, quod eiusmodi conuiuia non sine verberibus tantum, verum etiam iurgiis & rixis transigunt: quum apud nos, agrestium præsertim, comessationes eiusmodi raro sine vulneribus aut etiam cædibus finiantur.

CAPVT XIX.

De bestiis quibusdam in Brasilia, & de Crocodilis.

Tapiroussu vacca similis Brasilianus.

IN BRASILIA quamuis varia bestiarum genera reperiantur, nullum tamen est quod vllam fere cum nostratibus habeat similitudinem. Est ibi fera Tapiroussu dicta, mediocris vaccæ aut asini tam magnitudine quam figura, cornibus tamen caret, collum habet adstrictum, aures oblongas & pendulas, crura gracilia, vngulas integras, ita vt ex asino & vacca concretum hoc animal videri possit. Differt tamen ab vtroque in eo quod caudam habeat breuiusculam (quemadmodum & reliquæ fere Brasilianæ bestiæ caudis omnino carent) dentes acutos, nec tamen metuendos, vtpote quum valde meticulosum sit, hominesque fugiat. Huic barbari tam telis quam tendiculis valde insidiantur, ob pellem potissimum, ex qua detracta & ad solem durata, galeas & clypeos conficiunt, ad excipiendas hostium sagittas. Caro eundem ferme habet saporem quem boum nostratium: quam assatam (salis enim nullum habent vsum) condunt & asseruant.

Cecui.

Reperitur ibi ceruorum genus, barbarorum lingua Secuassou dictum, nostratibus minus, cornibus etiam multo breuioribus, & auribus instar caprarum pendulis.

Apri in Brasilia, Taiossu dicti, magnitudine

ne, aurium, capitis & pedum forma noſtratibus plane ſunt ſimiles, nec minus dentibus metuendi, immò noſtratibus ob agilitatem & horribilem frenditum, formidabiliores. In tergo prætérea foramen habent apertum, ſiue ſpiraculum.

Eſt aliud ceruorum genus, Agouti dictum, fiſſis vngulis, cauda breuiuſcula, ore leporino, carne grati ſaporis. Duo circiter aut tria quaſi leprorum ſunt genera, Tapitis à Braſilianis appellata, ruffis pilis. Quin glires in ſyluis reperiuntur, noſtratium ſciuror um magnitudine, quorum carnes non minus quam cuniculorum ſapidæ ſunt.

Lepores.

Glires.

Pag ſiue Pague beſtia eſt, noſtratibus vertagis magnitudine æqualis, capite admodum deformi, ſed pelle pulcerrima, & nigris ac candidis maculis diſtincta. Caro vitulinæ ſaporem imitatur.

Sarigoy aliud animal, quamuis carnem habeat valde delicatam, barbari in cibum non adhibent, ob inſignem fetorem: quamuis demtis renibus & eorum pinguedine, in quibus fetor, facile huic incommodo mederi poſſent.

Iacare Crocodili dicuntur, cruris magnitudine, longiuſculi tamen pro reliquo corporis modulo, non modo non noxij, verum etiam ita cicures vt cum pueris colludãt. Eorum caro candida eſt, & optimi ſaporis.

Crocodili.

Lacertæ ibi ſunt quatuor aut quinque, immò pluriũ pedum longitudine, corpore maculoſo, vt noſtrates, mediocri craſſitudine, aſpectu tam tetro vt horrorem incutiant: inſtar ranarum

Lacertæ.

paludes inhabitant, nec hominibus nocent: immo præ omnibus alijs animantibus à Brasilianis in delicijs habentur, quum earum carne nihil sit suauius, vt vel caponibus sit præferenda. Quid quod Toupinambautij buffones quoque assatos comedant? at à nostratibus diuersos esse stultus sit qui non credat. Serpentes quidem quinque aut circiter pedum longitudine, inter Brasilianorum cibos quoque locum habent: quorum certum genus est. Alij enim non minus quam apud nos venenati sunt. In syluis quoque inusitata magnitudine lacertæ reperiũtur, præduris squamis & albicantibus: qualẽ Ioannes Lerius sibi visum affirmat, alterũ anteriorũ pedum vna cũ capite in altum eleuantem. Hic se & socium velut obstupefactos per quadrantem fere horæ immoto gradu constitisse: tandem pessimam illam bestiam per dumos & virgulta tanto cum strepitu euolutam, vt maior à ceruo excitari non potuisset.

Alia ibi bestia est quadrupes, pedum altitudine ac celeritate canibus nostratibus quos vertagos appellant, similis: sub mento barbam habet vel villum oblongum, pellem variam, instar lyncis. Hanc Brasiliani valde formidant, vtpote quæ nec hominibus nec bestiis, quas nacta fuerit, parcat: quam vicissim captã ijdem omnibus quos excogitare possunt, doloribus excarnificant.

Cercopitheci. Cercopithecorum multa quoque in Brasilia sunt genera, vnum minusculum, pilis nigris, Sãgouin dictum, cercuri magnitudine, at quantum ad rostrum, pectus, collum & reliqua corporis membra, leonis propemodum forma, cuius

cuius etiam ferociam quodammodo præ se fert, ceteroqui tam formosum, vt pulcritudine sua ceteras omnes Brasiliæ bestiolas vincat. Id tamen tam tenerum est, vt viæ molestias ac maris nauseam ferre non possit, ac propterea ad nos non exportetur.

Hay animal. Est aliud ibi animal, Hay incolis dictum, canis magnitudine, cercopitheci os referens, ventre pendulo instar scrophæ, pedibus villosis, colore albo & atro misto, oblongis vnguibus, &cæt. Id quamuis ferum admodum sit, captum tamen cicurari potest. nec tamen nudi illi Toupinambautij facile cum eo ludunt, propter vngues acutos. Aere, vt Chamæleon, victitare à Brasilianis creditur, quod bestiam hanc nemo vnquam edentem conspexerit.

Coaty bestiola. Nec minus mirabilis est Coaty bestiola, leporis magnitudine, pilis versicoloribus, auriculis acutis, capite paruo; promuscidem habens duas palmas longam, rotundam, ore tam angusto, vt vix minimum capiat digitum, tota corporis figura valde mira. Animalculum hoc captum, statim complicatis pedibus modo in hoc modo in aliud latus voluitur, nec tolli se sinit, nisi porrectis aliquot formicis, quibus in syluis victitat.

CAPVT XXI.

De auium in Brasilia generibus. &c.

VAriјs auium generibus Brasilia abundat: quarum aliquæ ad cibum sunt vtiles, aliæ inutiles. Sunt ibi Indicæ gallinæ magna copia, Arignou, Oussou barbarorum lingua dictæ, & à Lusitanis importatæ. Ex his quæ albi coloris sunt, magno in precio à Brasilianis habentur, quarum pennis & plumis rubro colore tinctis, ad corporis ornatum vtuntur. Harum tamen nec carnibus nec ouis vescuntur; immo Gallis comedentibus, quasi obstupescebant. Anates quoque sunt, Vpec ipsis appellati: à quorum tamen esu quoque abstinent, rati, si tam inertis ac pigri animalis carnes gustassent, eiusdem tarditatis ac pigritiæ participes se fore. Habent præterea tria præcipue ibi natarum gallinarum genera, nigra pluma, candidis maculis sparsa; sapore carnium phasianis vix cedentes. Perdices ibi quoque, turtures, palumbes aliæque id genus volucres magna copia reperiuntur: quæ si coqui accederet ars & industria, vel Principum mensis non indignæ essent.

Iam quæ non ad cibum, sed iocum & delicias expetuntur, plurima ibi sunt auium genera, psittacorum inprimis, qui tanta sunt pulcritudine, vt nullibi toto orbe pulcriores reperiantur. Vnum genus Aras, alterum Canide dicitur, è quorum plumis barbari vestes suas, armillas & pallia conficiunt. Plumas habent rubras, cæruleas, & flauas, mirum in modum nitidas, & à barbaris tantopere amatas, vt carmini-

minibus & cantilenis eas concelebrare non dubitent. Quatuor insuper alia sunt psittacorum genera, quorum vnum Aiourous à barbaris nominatum, rarò apud nos visum. Caput habent rubris flauis & violaceis plumis variegatum, alas rubricantes, caudas flauas; reliquum corpus viridi est colore. Verba & voces hominum tam accurate exprimunt, vt vix homo articulatius loqui possit. Aiunt ex hoc genere vnum fuisse, qui non vocem tantum, sed omnes quoque barbarorum gestus, saltando, comedendo, bibendo, cachinnando, &c. ad viuum sit imitatus. Eumdem barbaris ad bellum profectis silere iussum, & linguam & pedes tamquam mortuum continuisse. Qui ad nos perferuntur, barbari Margonas vocant, quæ tanta ibi quãta apud nos columbæ, frequentia visuntur. Est aliud ibi volucris genus, Toucan dictum, columbæ magnitudine, nigrum instar corui, pectore excepto, quod flauescit, circulo rubro distinctum. Auis hæc tantũ habet rostrũ, vt toto reliquo corpore maius sit; eoq; nõ immerito inter visu rara ostẽtetur. Est alia paricis magnitudine auicula Quãpiã nomine, cuius plumæ ita rubent, vt murice tinctæ videri possint. Nec silentio prætereundũ est minimũ auiculæ genus, tã sonorũ, vt de ea merito illud dici possit, quod Lacon quidã de luscinia dixisse fertur, Nihil scilicet nisi vocem eam esse. Gonambuch barbari hanc auiculam appellant. Sunt & aliæ varij coloris volucres, rubri sc. violacei, purpurei, candidi: inter quas vnũ genus vnde barbari auguria sua capiunt, nec capi aut quocumque modo lædi patiuntur. Columbæ est magnitudine, ac tristem cantum vel gemitũ

idque noctu magis quam interdiu edit. Toupinambautij eam auem à maioribus suis defunctis tamquam internunciam mitti autumant, vt scilicet animum ipsis addat ad hostes strenue persequendos; ijdemque persuasum habent, si eiusmodi augurium lætis accipiant animis, & contra hostes strenue se gesserint, etiamsi in prœlio occubuerint, aut capti & mactati fuerint, recta se ad campos Elysios vltra montes, vbi maiores ipsorum beato æuo fruantur, delatum iri. In Brasilia quoque vespertiliones reperiuntur, cornicum magnitudine: quæ nuda dormientium membra inuadunt, ac pedum præcipue digitos, & mira ex ijs copia sanguinem exsugunt. Apes nostratibus multo minores sunt, immo muscis non multo maiores, nigricanti colore. Earum mel barbari ad vescendum colligunt, ceræ tamen vsum hactenus ignorant, nisi quod ea cauernas, in quibus pennarum ornamenta recondita habent, obturare solent.

Vespertiliones.

Iam vt de aquatilibus etiam aliquid dicamus, præter lacertas, crocodilos & eiusmodi reptilia & immunda insecta, quibus Brasiliani, vt supra indicaui, vescuntur; duo mullorum habent genera, grati admodum saporis; quæ cateruatim natantia barbari telis configunt. Kurema vnum, Parati alterum vocant. Tres aliæ apud eosdem grandiusculorum piscium sunt sortes: quorum omnium nomina aspere sonantia huc apponere operæprecium non videtur.

Pisces ad Brasilianos.

CAP.

CAPVT XXI.

De fructibus & herbis præcipuis quas fert Brasilia.

E Brasilia lignum illud tinctorium, quô ad rubrum vtimur colorem, magna aduehitur copia. Vastæ ex eo arborum genere constant syluæ. Quercui arbor nō est absimlis, tanta crassitudine, vt sint quę tres vlnas complectantur. Fructum nullum fert. Folia habet palmæ vel buxi instar. Tam durum id lignum est ac tam spissum, vt quantis laboribus in naues importetur, nemo facile credat, præsertim vbi iumenta desunt. Sed horum vicem barbari supplent; qui ad eiusmodi operas nostratibus mercimoniis, cultellis, securibus, indusijs, &c. conduci solent. Palmarum multæ sunt species. partim ijs quæ in Orientali India sunt, non valde dissimiles, nisi quod Cocos siue nuces eiusmodi non ferant. Ayri, arboris genus, ebeni & speciem & duritiem habet, è cuius ligno barbari clauas, sagittas, aliaque arma fabricantur. Complura alia ligna ibi videre est, nigro, flauo, violaceo, candido, rubro colore: quorum omnium fere nullus est vsus, nisi ad ea quæ diximus, arma fabricanda. Duo sunt maxime diuersæ naturæ arborum genera, quorum vnum odoris suauitate, præsertim si scindatur, vel rosas vincit; alterum intolerabili fetore vel procul stantes

Lignum Brasiliēse.

Varia lignorum species.

ſtantes abigit. Nucem fert, quæ comeſta, ſtatim præſentiſſimi veneni vim oſtendit. Eam tamen arborem barbari, quod ex eius ligno crotala ſua fabricentur, magni faciunt. Quamuis autem multa pomorum aliorumque fructuum arboreorum genera apud Braſilianos, in ora præſertim litorali proueniant; ij tamen plerique omnes noxij ſunt, & parum ſalubres. Eſt tamen cortex quidam, Hiuourac nomine, quo ad Veneream ſanandam luem vtuntur. Ex reliquis fere arborum fructibus, vt Choyne, Sabaucaie, &c. à barbaris pocula & eiuſmodi vaſa efformantur. Quibus gratus aliquis ſapor, vt inprimis ijs qui Acaiou ipſis dicuntur, cercopithecis, ob arborum altitudinem, magis quam hominibus in cibum cedunt. Frutices è quibus goſſypium colligitur, mediocri ſunt magnitudine, flores ferunt, citrullorum campanulis non abſimiles, flaui coloris, è quibus nucula exiſtit, faginæ pæne ſimilis, quæ matura, in quatuor partes ſeſe ſcindit, vnde lana illa protuberans colligitur: è qua barbarorum mulieres lectos illos reticulatos, funes & alia eiuſmodi concinnant. Celeberrimi apud nos nominis quæ in Braſilia proueniat, herba eſt Nicotiana illa, quam Petum barbari, nos vtplurimum Tabacum appellamus: de qua, vt & aliis omnibus, accuratiſſime ſcripſit Cl. Carolus Cluſius, cuius liber ab ijs qui plura cognoſcere his de rebus cupiunt, legi poteſt. Illud ſane perquam mirum eſt, quod tam animantia quam terræ atque arborum fructus, quidquid denique in Braſilia reperitur (præter hominum formam: quæ tamen immane quantũ diſcrepat, & velut in

Tabaci vel Nicotianæ folio.

alienam

alienam à barbaris transformatur) nullam omnino cum ijs quæ in Europa sunt, habent similitudinem, nec vllus nostratium fructuum aut herbarum, exceptis porcellana, basilico & filice, ibi exstet, vt merito cum Dauide exclamare nobis liceat:

Quam sunt mira manus Domini quæcumque creauit,
Quam variæ species animantum, pontus & aer.
Quæ nutrit!

CAPVT XXII.

Brasiliæ descriptio vniuersalis, è Ioannis Petri Maffei libro excerpta.

Qvamuis tam hic quam superius de Brasilia satis multa scripsisse, immo eadem ad nauseam repetijsse, alicui forte videamur: attamen tam huius quam aliarum huius Noui Orbis regionum mira & inusitata nobis species facit, vt ad eam contemplandam sæpe quasi regredi allubescat. Quum vero vel oculatis testibus, vel ijs qui ab his ista acceperunt, merito fides sit habenda: operæprecium videtur, vt lectori veluti vnum sub obtutum totam Brasiliam obijciamus, elegantem simul & accuratam eius descriptionem, quamuis breuem, è Ioanne Petro Maffæo, quam etiam Io. Antonius Maginus operi suo Geographico inserere non dubitauit, huc apponereque sic habet.

Brasilia

Brasiliæ magnitudo.

Brasilia regio inter duos ingentes fluuios iacet, nempe Maragnonem à septemtrione & Argyreum, vulgo Rio della Plata à Meridie, & quem etiam ab occasu partim attingit, à qua etiam parte ad altissimos Peruuiæ mōtes extenditur; sed ab Ortu mari vastissimo, vulgo del Nort dicto, pulsatur. Hujus longitudo quæ à septemtrione in austrum accipitur, traditur mille & quingentorum milliarium; latitudo ab Ortu in Occasum, quingentorum milliarium; & eius circumnauigatio iuxta maris del Nort litus, milliarium plusminus triū millium, Italicorum scilicet.

Est autem Brasilia Noui Orbis pars, quam paullo post Capralis accessum, Americus Vespucius Florentinus, Emanuelis Portugalliæ regis auspiciis, accuratius explorauit à duobus ab AEquatore gradibus partibusve, ad gradus quinque & quadraginta in Austrum excurrens, trigoni oblongi speciem refert, cuius basis in AEquatorem ac septemtriones obuersa, ab Oriente in Occidentem recta protenditur. Angulus extremus ignotas ad Meridiem regiones attingit. Latus in Orientem spectans, interposito mari, Hesperijs AEthiopibus obiacet; alterum latus à prouincia Peruana disterminant iuga montium adeo celsa, vt ipsos auium volatus fatigare dicantur, vno dumtaxat, quod adhuc exploratum sit, eoque difficilimo transitu. Regio fermè tota in primis amœna est; cœli admodum iucunda & salubris temperies. lenium quippe à mari ventorum commodissimi flatus, matutinos vapores ac nebulas tempestiue disijciunt, solesque purissimos ac nitidissimos

Situs & limites.

mos

mos reddunt. Scatet ea tota ferme plaga fontibus, ac ſyluis & amnibus inclytis: è quibus, vt reliquos taceam, is quem Argenteum vocant, leucarum quadraginta oſtio in mare fertur, adeo violentus vt inde nautæ dulces hauriant latices, priuſquam tellurem ex alto conſpiciant. Terra partim in planitiem exſpatians, partim in colles clementer exſurgens, felix præpinguibus glebis, & riguo ſolo ſemperque vernante, credita ſibi ſemina multiplici reddit cum fenore: ac ſacchari inprimis eſt ferax, quod cœleſte donum, Attico melli longe præferendum, proceris arundinibus condidit natura, è quibus aquaria mola dulciſſimus humor expreſſus, in ahenis ad purum excoquitur, tum formis in panes cogitur: dein rurſus, vbi libuerit, eliquatus, artifici manu pigmentis, ad inſtar ceræ, varias in effigies indiſcreta prope ſimilitudine trahitur. Cuius generis officinæ, priſcis ignotæ. hodie, qua præſertim Luſitani incolunt, paſſim exſtructæ viſuntur; atque ex hac vnica merce negociatores vel maximum capiunt emolumentum: ſiquidem nauibus quotannis in Europam euecta, certiſſimo compendio longe lateque per Europam diuenditur. Certis etiam è plantis, quas vulgo Copaibas vocant, inciſo per æſtatem cortice, in modum balſami liquor ſuauiſſimi odoris emanat; cui quum ad alios mortalium vſus, tum ad curanda vulnera & cicatrices tollendas, mirificam vim eſſe perhibēt. Eæ plantæ cernuntur affrictu animalium attritæ, quæ à ſerpentibus venenatis aut feris icta, ad remedium illud, ipſius Naturæ inſtinctu, ſeſe

Sacchari prouentus

Copaibas planta.

reci

recipiunt. At Zabucales quæ dicuntur, admodum excelsæ, magnos ferunt summa duritie calices, ore in terram obuerso, & quidem admirabili Naturę solertia pyxidatim operto: ijs calicibus nuces castaneæ, saporis ęgregij, continentur: quæ vbi maturuerint, excusso confestim operculo, paullatim ipsæ per se in alimenta incolarum ad vnam è calice defluunt. Syluestria etiam sunt Caiusia pyra, apprime succosa, & innoxia: itaque medijs in caloribus auide manducantur. Ceterum in imo pyro faba quædam extuberat, cortice amarissimo, prædulci medulla, si torreatur. Pyro præterea refrigerandi vis; at faba calefacit. Verum ex omni genere palma tribuitur ijs quos vulgus Ananas appellat. Planta est humilis, cuius è ramis veluti pinea nucamenta dependent pręmollia: hęc suo tempore in frustra dissecta, gratissimo simul odore ac sapore non recenti tantum edulio sunt, verum etiam saccharo condita, in longum tempus asseruantur. Iam vero illati in eas regiones è nostro orbe melopepones, cucumeres, malogranata, ficus, vitesque biferæ ac triferæ, nec non multiformia mala medica suppetunt. Adhæc videre est complures alias arbores pomiferas, quas percensere nimis lōgum foret: tū pisces & aues coloris eximij, & quadrupedia plurima, sed syluestria plurima, partim nota nobis, partim ignota. in quibus vtiq; apparet, quā miris modis ac variis diuina sapientia ludat in orbe terrarum. Ex eo numero vt pauca perstringā, apri sunt amphibij, carnibus optimis ac saluberrimis. ij quod priores pedes perbreues habeāt, posteriores autē prælongos, tardiores sūt

Caius pyra.

Ananas.

Apri amphibii.

cursu.

cursu. itaque deprehensi à viatoribus, quà proximum est, sese aquis immergunt. Antæ sunt etiã gentis vocabulo, ad mulæ similitudinem, sed minores, & rostro tenuiore, inferiore autẽ labro tubæ instar, oblongo, rotundis auribus, breui cauda, reliquũ cinereæ corpus. eædem lucifugę sunt, nec nisi nocte ad pabulũ prodeunt: vbi diluxit, in sua sese cõdunt latibula. Huius belluæ carnes gustatu plane bubulas referũt. Cotias vero nominãt animalculũ, magnitudine, & forma, & sapore leporum, rufo colore, paruis auribus, cauda fere nulla. Maiores sunt eiusdẽ fere speciei, quas Pacas vocant, rostro tereti ad facẽ felis, fusco colore, cãdidis maculis interstincto; neq; carne tantũ, sed & corio ipso prætenero, atq; ob idipsum in delicatiores epulas expetitur. Ceterũ insolito spectaculo Tatusiæ sunt, ad porcelli magnitudinẽ, corio squamatim loricato, sic vt equi cataphracti speciẽ reddant. exeo caput duntaxat ceu testudines, exserũt, pedibus cõtractis, & specubus ferme vti cuniculi sese cõtinent. harum quoq; carnes palato sunt gratissimæ. Magna prę terea copia tigriũ est, quæ famelicæ horribili velocitate sunt viribusq; tremendis; eædẽ pastę, (quod mirere) tãta ignauia esse dicũtur, vt à gregariis etiã canibus cõfestim in fugã agãtur. adeo cibi potusq; satietas nõ homines tantũ, sed etiã feras hebetes reddit. Illud vero mirũ in Cerigonibus (id animãti nomẽ. buxeo colore, vulpeculę magnitudine) quod ex eius aluo duæ dependent veluti mãticæ. in ijs catulos circũferr, & quidẽ adeo pertinaciter suo quemque vberi affixos, vt à perpetuo suctu non auellantur, antequãad pastũ per se ipsi progredi valeãt. Valde etiã inusi

Antæ.

Cotiæ.

Tatusiæ.

Tigres.

Cerigones

tata

tata & effigie & natura eſt animal, quod ab re ipſa Luſitani Pigritiam appellant, Cerigonum fere magnitudine, ſed roſtro fœdiore ad aſpe-ctum, & vnguibus ad digitorum ſimilitudinem prominentibus. Huic ex occipitio exſiſtés coma ceruicé velat, lentoque ipſa ventris adipe verrit humum, neque vmquam in pedes exſurgit: denique tam tarde mouetur, vt quindecim ipſis diebus ad lapidis iactum continuo tractu vix prodeat. Victitat arborum folijs, & in earum cacuminibus degit plerumque: quarum in aſcenſu biduum circiter, tantumdem in deſcenſu conſumit. neque vero adhortationibus aut minis, ſed ne plagis quidem fuſtibus ve beſtiam vel tantillum de inſita ignauia ac tarditate dimoueas. Mirandum eſt etiam genus earũ, quas Tamendoas vocant, veruecis altitudine, colore fuſco, prælongo ac tenui rictu, neque eo ad malas deducto, ſed modice ad imum inciſo. Vnguibus quadrupes hæc inſtructa eſt mire longis latiſque, nimirum ad victum facilius comparandum. namque formicis alitur, quarum latebras vbi crebro vnguium iniectu ac foſſione detexit, illico exſertam trium fere dodrantium linguã immittit exilem, opertamque formicis repente contrahit, glutitque deceptas. Huic vti ſciuro, valde ſetoſa & promiſſa cauda pro tegumento eſt ſub ea quippe ita ſe condit, vt nihil ex reliquo corpore prorſus appareat. Neque hæc tantum & alia ſylueſtria, verum etiam nuper à Luſitanis inuecta pecorum & equorum armenta plane admirabili prouentu fetificant. quo magis mirum, vberrimo agro, mitiſſimo cœlo, tam fera & acerba eſſe incolarũ ingenia.

Pigritia animal.

Tamendoas animal

Nullos

Nullos omnino colunt Deos, ominibus tantùm & auguriis ad inſaniam dediti, & ariolis impoſtoribuſque miſerãdum in modum quæſtui ſunt. nudi æque viri ac fœminæ prorſus incedũt, robuſtis lacertis, fluxo à vertice duntaxat capillo(nam ceteras corporis partes idemtidem expilant) ſimis, vti Sinarum populi, naribus: æneaque ipſi cute, atro inſuper ſucco pomi Genipapi totum ſubinde corpus inficiunt. Præterea inſertos habent iam inde à prima ætate, deliciarum ſcilicet cauſſa, quidam inferiore duntaxat labro, quidam etiam facie tota, prælongos nullius precij lapillos, tetro ſane ſpectaculo. Gregatim peregrinantur ordine ſimplici, ſilentio miro. vxor virum anteit. Carorum amicorum aduentum circumdatis collo brachijs, appreſſo ad pectus capite, cum effuſa comploratione altiſque ſuſpirijs primum excipiunt, viæ laborem & incommoda miſerantes: momento dein ſiccant oculos, habentque lacrymas in poteſtate. Grauidis haud ita multus in partu dolor: à puerperio feta confeſtim exſurgit, ac domeſtica obit impigre miniſteria. Eius loco (quod vix credat quiſquam) in aliquot dies velut æger decumbit maritus. hic officij cauſſa ab amicis ac propinquis inuiſitur. huic ſorbitiunculæ dantur ad refouendas vires: huic de more gentis, bellaria & delicata munuſcula deferuntur. Numerandi rationem ac litteras ignorant omnes. tantum tenui quadam traditione, nonnulla de Noe deque diluuio à patribus accepiſſe dicuntur, vt valde probabile ſit, poſt diſſipatos quondam diuino iuſſu mor-

Braſiliani literarum expertes.

R tales,

tales, nullum huic genti cum noſtri orbis hominibus fuiſſe commercium. Vino ac frumẽto in hęc vſque tempora caruere, ſatura radice victitantes in farinam redacta, quam Mandiocã appellant. Sub eodem tecto ad inuerſæ modũ carinæ prælongo, multę ſimul familiæ degũt; noctu ad noxia vitanda animalia cubantes in retibus à terra ſuſpenſis; viuuntque in diem, & quidquid habent in commune facile conferũt, nihil in craſtinum ſolliciti. Natandi arte ad miraculum vſque pręcellunt. ſub aqua totas interdum horas, vbi quippiam in imo quærendũ eſt, patentibus oculis vrinãtur. Laboris & inediæ patientiſſimi ſunt. Triduum totum, vbi penuria ciborum ingruerit, ieiuni traducunt: ijdem ſi copia ſuppetat, à primis tenebris ad lucem vſque in conuiuijs & compotatione perſiſtunt. Recte aut perperam factis nihil poſt mortem præmij ſupplicij ve ſupereſſe arbitrãtur. Qui diem ſuum obiere, eos perinde ac deceſſerint, vel integro corpore, vel mancos, aut debiles vulneribuſque confoſſos, deſcendere ad orcum putant. ergo incremata condunt humi cadauera, addito reti cubandi cauſa, nec non edulijs per aliquot dies appoſitis; quod ita perſuaſum habẽt, & ſomnum interim capere, & cibo veſci manes mortuorum. Captos in prælio hoſtes (crebra autem inter eos bella excitantur, ac ſagittis præſertim vtuntur egregiè) multorum dierum cura ſaginatos, ingenti cum tripudio mactant; vorantque toſta verubus membra: eæ optatiſſimę Braſiliis epulæ ſunt. neque ſi cui hoc leti genere perire contigerit, malè ſecum actum exiſtimat: quinimò

Braſilii homiuinora.

ad

ad mortem pergit alacer ac securus: editisque contra ipsosmet percussores facinoribus, magnifice in ipso necis articulo gloriatur. sparsis domicilijs habitant, nullo magistratu, legibusve constricti. lingua nec difficilis cognitu, & vna fermè est omnium quotquot adhuc propè noti sunt, exceptis certarum rerum vocabulis, quæ aliter à viris, aliter à fœminis vsurpantur. Trium ex alphabeto elementorum F. L. R. nullus apud eam gentem est vsus: minime absurda quarundam animaduersione factū id esse diuinitus; eo quod Fide, Lege, Rege, sicuti dictum est, careant. beneficiorum acceptorum immemores, æque iræ ac libidinis impotentes: ad pugnas, & certamina temerarij, præcipitesque: vltionis & humani sanguinis auidissimi: in summa belluis quam hominibus propiores, qui quidē mores patrios retinent, ac mediterranea incolunt loca. nam post illatum ab Societate Iesu Euangelium, & liberalium artium disciplinas; in vicos & oppida contributi, prȩsertim qui mare accolunt, ad humanitatē ac pietatem magnis laboribus excoluntur. Hæc ex Maffeio.

Cæterum in hanc regionem Portugallenses omnes ferè attulerunt fruges ac fructus Europæos, nuncq; ex ea maximam ligni rubri copiam ad tingendos pannos expetiti extrahunt, quod Brasilium dicunt, & vulgo Verzino; deinde etiam gossipij & sacchari magnā vim. Multæ vero sunt istic Portugallensium coloniæ, in quibus complura sunt ab ipsis

Brasilium lignum.

ad saccharum excoquendum constructa ædificia, nempe Pernambucum, Caput S. Augustini, Portus omnium Sanctorum, vbi Episcopalis & Præsidis totius prouinciæ sedes; & aliæ.

Postremo sunt aliæ quamplures regiones in hac magna Meridionali noui orbis peninsula, nimirum Popaiam, in qua sunt vrbs Popaiam metropolis Pastoco, Calli, Cartago, Antiochia, & aliæ. Noua Granata, in qua est Tunia regiuncula smaragdorum, & S. Fides, vbi residet Archiepiscopus, & Præses nouæ Granatæ. Caribana, in qua sunt Darien, Vraba, Cenu, Caribana, Cartagena, Veneciola, Maracapana, Cumana, & aliæ. Paria, quæ fuit prima regio huius continentis à Columbo detecta. Cinnamomifera Regio ab Ortu Peruuiæ iacens, quæ Cinnamomum à communi differens profert.

Tucumanorum regio, in qua sunt Hispanorum coloniæ Salta, Steco, S. Michaelis, Corduba, S. Iacobi. Patagonum, seu gigantum Regio & aliæ multæ; quarum quędam fœcundæ sunt, quædam steriles ac inopes; sed omnes fere incolas barbaros, inhumanos, ac hominiuoras habent. Qui de Brasilia plura scire desiderant, Ioannis Lerij Nauigationem euoluant, qui omnia accurate & ipse perlustrauit, & diligenter descripsit.

Locorũ nomina & distãtia ad fretu vsq; Magellanicum.

Iam vt præcipuorum in maritima ora locorum nomina, & distantiam indicemus, à promontorio Friensi vsque ad Punctum siue angulum de buen Abrigo (quà tropicus Capricorni transit) C. numerantur milliaria. Hinc ad

sinum

ſinum S. Michaelis L. ſunt milliaria; ac rurſus inde ad fluuium S. Franciſci LXX. qui quidem ſub XXVI. gradu eſt poſitus. Ab hoc fluuio ad fl. Tibiquirim C. computantur milliaria, vbi ſunt Portus de Patos, eique oppoſita S. Catharinæ inſula, Portus de Faraios, & alia loca. A Tibiquiri vſque ad fluuium Argenteum vel de la Plata, plus ſunt quam L. milliaria. Diſtat ergo promontorium S. Auguſtini à dicto iam fluuio, vltra DCLX. milliaribus. Is poſitus ſub XXXV. gradu vltra AEquatorem, ab incolis Parana & Paranaguaſu dicitur: de quo ſupra. A fluuio Argenteo ad Caput S. Helenæ LXV. inde ad Arenas gordas XXX. hinc ad Boros anegados XL. hinc ad Terram Baixam L. inde ad Sinum ahſque fundo, LXV. ac rurſus ad Arrecifes de Lobos, in Patagonum ſiue gigantum finibus XL. inde ad angulum S. Dominici XLV. hinc ad Caput blancum ſiue album XX. porro ad ſtationem Serrani (alias fluuium de Trabaios) LX. vbi portus eſt ſatis commodus, S. Iuliani vulgo dictus. Inde LXXX. putantur milliaria ad promontorium 11000. Virginum: quod non procul à ſeptemtrionali Magellanici freti oſtio, ſub 25. & dimidiato gradu eſt poſitum. Eius logitudinem ab Ortu ad Occaſum 110. alij 130. latitudinem duorum aut plurium alibi milliarium faciunt. Quum vero id præ cæteris accurate Sebaldus Guerthæus & Oliuarius Nordanus & perluſtrarint & deſcripſerint: eorum Diaria, rei nauticæ in primis ſtudioſi adeant cenſeo. Nos ſeptemtrionalem Americæ ſiue Noui Orbis oram emenſi, ad

Meridionalem eiusdem plagam iam transimus; vbi primum occurrit Peruuia.

CAPVT XXI.

Peruuiæ ex Leuinio Apollonio descriptio.

Peruuiæ fines.

PERVVIA prouincia totius noui orbis famosissima, tota ferè intra Aequatorem & tropicum Capricorni clauditur. Suntque eius fines à Septentrione noua Granata, Castella aurea, & Peru fluuius ac portus, qui huic regioni nomen dat: ab Occasu est Oceanus, seu mare del Zur: à Meridie Chila prouincia: ab Ortu montes. Occupatque longitudine sua hęc prouincia mille & octingentas plus minus leucas. Detecta fuit primum anno 1525. à Francisco Pizzaro, cuius præfecturam paulo post à Carolo Quinto obtinuit, atque eam plene perlustrauit, ac occupauit. Hæc autem diuiditur hodie in tres partes, nempe in Planitiem, in Sierras seu montanam, & in Andes seu vltramontanam.

Planities Peruuiæ iuxta maritimam oram expanditur milliaribus propemodum mille ac quingentis, eiusque latitudo maior ad sexaginta milliaria accedit, & minor triginta. Est autem hæc pars sabulosa, solitudinib. frequentibus deformis, ac maiori ex parte sterilis, præsertim cum nec vllos habeat fontes aut lacus, nec vllis imbribus aut pluuijs vnquam adiuuetur. Sunt tamen in ea agri permulti circa fluminum ripas viriditate ac fœcunditate læti, quippe qui hyemali

mali tépore ac fluuijs ipſis à prçcelſis montium rupibus delapſis effuſisque, qui nunquã magis, quam ſeptem aut decem milliarium interuallo diſſident, vtili perfuſu & inundatione irrigantur: qui etiam agri ipſi ab accolis magna induſtria irrigantur, & exercentur, vnde poſtea goſſipiũ, varij coloris, & omne frumenti genus copiosè reddunt. Huius tractus incolæ viles ſunt, puſillanimi & inopes, qui ſub arborib. & i ter arundines ac iuncos viuunt ac dormiũt, quorũ eſca ſunt piſces, & crudæ carnes.

Montana regio Peruuiæ. Montana regio Peruuiæ longo extenditur tractu à Septentrione ad Meridiem mille circiter leucis, nec magis à mari recedit quã 20. leucis, & aliquibus in locis minus. Sunt vero hi montes admodũ frigori obnoxij, in eiſque frequenter niues cadunt: nec arbores vtplurimum proferunt, vnde incolæ ignem ex terra quadam ad hoc apta fouent. Reperiuntur hic leones, lupi, vrſi nigri, capreoli, & quoddam pecudum genus camelis ſimile, è quarũ lana veſtes gauſſapinas, & alia neceſſaria conficiunt. Continẽtur inter hos montes multæ amplæ valles ac profundæ, fertiliſſimæ, ac populo numeroſiſſimæ; cum aere potiantur calidiore. Et incolę quidẽ harum vallium cęteris huius tractus ingenioſiores, animoſiores, ac ciuiliores ſunt.

Andes ſunt etiam montes, ſed contiuua ſerie producti abſque vallibus, qui etiam a Septentrione in Meridiem incedunt, & inter hos & alteros montes Collao prouincia clauditur, quæ ſane vt plurimum montibus referta eſt, ac frigori ſubiecta, ſed tamen valde populoſa.

Montana regionis qualitas & felicitas.

Montana regio, vt ait Leuinius Apollonius, maritimæ regioni hominum cultu, vrbium frequentia, & soli aerisque beatitudine longè præstat, ac peculiari idcirco regum sede, procerumque habitaculo excoli consueuit. Terra enim omnis egregia clementis cæli temperie adiuta, multo innumerabilium riuorum, amniculorumque, quos montes profundunt, excursu mirificè fœcundatur, ita vt graminosis vbique viretis lætissimè transeuntibus arrideat, & fertilibus passim pratis grauida omne leguminum genus liberaliter præbeat. Nam præter chamæcerasia, & alia eius sortis mora dumetis assueta, lactucasque, brassicas, caros, baucos, ac raphanos magna proceritate luxuriantes, sed tenuium etiam mensis vulgares, etiam amaracum, nasturtium, petroselinum, saluiam, oxylapathum, mentam, & inuisam Veneri portulacam, condiendis epulis lautissimas herbas profert, & cætera porro omnia, quæ postea Hispanis serentibus accepit, vberrima referendi benignitate reddit. Præter has alteram herbam edit, flauos flores tenuisculis petiolis egerentem, frondium habitu apio nō absimilem, quam celebratissimo ab Græcis scriptoribus potamio stratiore potentiorem vulneri etiam rancescenti, & chirurgorum desperatione deplorato vnicum solam remedium afferre, eandem autem carnem sanam ac valentem (si huic adhibita sit) ad ima ossa peredere ferunt. Hac etiam præstantior nascitur (Cocam vocant indigenæ) frondibus eius arbusculæ similis, quæ Græcis Rhus dicta est, Latini fruticem coriarium vocarunt, quę, sicuti reipsa

reipſa compertum eſt, omnem cibi ac potus appetitum auertit in ore geſtanti. Verum ante alia frumentum tanta fœcunditate luxuriat, vt ſicut proditur, ipſe dicere verear, vno ex ſatiuo frumenti ſextario amplius quinquaginta aut centum, ducentos interdum progigni: quod eo certè vehementius demirari licet, quod leuiſſimam, tenuiſſimamque agriculturæ curam ac rationem exerceant. Agros enim leuiter expurgatos, & lolijs euulſis ſarritos, cum aratrum vomeremque penitus ignorent, non tanto inductis ſulcis ſubruendi, glebas occandi, deinde poſt iacta ſemina cylindro æquandi labore fatigant incolæ, quantum noſtri ad fruges ſerendas requirunt, ſed lignea pala modice vulneratam humum leuiter inuertunt, ſcrobibuſque effoſſis grana paſtino ligneo, ſicuti apud nos fabæ ſolent, depangunt, quæ regeſto demum ſuperfuſo condita in ſummam luxuriem prorumpunt. Herbarum frumentique copiæ arborum fœcunditas reſpondet, quarum non illæ modo, quas nouit Europa, egregiè creſcunt, ſed earum etiam plurimas inuenire licet, quæ nobis nomine naturaque ſunt prorſus incognitæ. Nam, vt in montanis fieri ſolet, nigrantes plurimis in locis ſyluæ occurrunt, quæ non omne arborum genus modo, & earum caudicibus vberrimam lignandi copiam, ſed in cauis abditiſque ſpecuum luſtris magnam ferarum multitudinem ſubminiſtrant. Pumilium etiam animantium campi, ac imæ valles ad aucupum voluptatem vſque adeo ſunt plenæ, vt lepores, cuniculi, turtures, columbæ, ficedulæ, niſi, fringillæque nullo

Arborum fructus.

anni tempore menſis deſint. Sed ne pſittaci quidem, vulpes, vrſi, ac leones rara montanis ſunt animantia; equi non iſthic modo, ſed per vniuerſum orbem nouum penitus incogniti. Verum horum egentiam, quamquam imparibus, & ineptis ad bellum viribus, ouium copia ſupplet, quæ equis magnitudine pares, & cætera forma, præter toroſi pectoris ſtrumam, camelis perſimiles, quinquaginta onerum põdo ſuſtinent, & virum in terga ſublatum ad aliquot paſſuum millia vehunt; feſſæ, ſi tamen vrgeantur, ſedentes ore conuerſo ringentes fœdo odore conſpurcant, ſi onuſtæ ſint, tum humo ſeſe acclamant, nec inde vlla verberum vehementia, ipſis aſinis contumaciores, niſi penitus clitellis exonerentur, propelli poſſunt: vtile profectò animantium genus, non ad ſupplendum modo abſentium equorum in ſarcinis, viriſque vehendis commoditatem, ſed ad alimoniæ etiam & opimi lucri vſum. Lanæ etiã tenuitate, longitudineque, & copia facile noſtras ſuperant, & ipſius carnis ſuaui gratitudine veruecium, atque iuuencorum noſtratium delectabilem ſaporem adæquant, frumento veſcuntur, ſed pauciſſimi cibi ſunt, vſq; adeo exigui vero potus, vt illo triduum quatriduumque abſtineant. Plæraque autem montium pars innumerabiles auri, argentique gazas nobiliſſimis fodinis emittit, nec vlla fere vrbs aliquo nomine ſpectata offertur, quam non inſigni alicuius minæ auro natura ditarit, vt merito harum cõparatione diuitiæ ſordeſcere debeant. Nam præter inexhauſtas montiũ Arrugias, quis eloqui poſſit, quantam auri, argenti

que

que vim canalitia, aut egesti fluminibus thesauri ferant? quæ rutilantibus arenis, & pellucidis vndis limpidi aureo quodã profluxu nitere videntur. Nec in tanta fodinarum copia minij, sicut accidere Plinius testatur, aut sandaracæ, & id genus versicoloris terræ ad vestimẽta inficienda venę desunt. Supra has dotes omnis hæc plaga, quæ per montes latissimè extenditur, ad vberrimam satiuarum frugum alimoniam, & priuatorum etiam puteorum commoditatem, mutante vices tempestate pluuiarum subsidia habet, quæ in tanto solis æstu magno incolarum, & agrorum hiantium gaudio excipiuntur. Hactenus ex Leuiuio Apollonio.

Incolarũ montanæ partis mores.

Horum montanorum incolarum naturam idem Leuinius his verbis exprimit. Hac regionis felicitate incolæ industria, atque ingeniorum solertia dignos se præstant, qui sicuti soli bonitate, ita naturæ, politiæque præstantia maritimos longè antecellunt. Viri subuculam, ac chlamidem laneam gestant, promissosque alũt crines, quos circa verticẽ tenui fascia substringunt: fœminis vestimentum est oblongum, non manicatum, quod laneo cingulo ter, quaterque circumducto infra vmbilicũ succingitur; huic penula superijcitur aurea, argenteave, ascicula circa collum constricta, quam Topum vocant. Hæc candida facie gratiosæ, quamquam absurdè fere in acutam cuspidem capitum vertices acuminentur, non formæ modo, sed modestiæ, verecundiæque muliebris, & reliquorũ morum non leui gratia pollent, & huic singularem in maritos amorem, fiduciamque mirabiliter adiungũt, quos præter sui sexus vires in

quoti

quotidianis operibus aſſiduo, & fideli labore ſubleuant.

De moribus autem Peruuinorum in vniuerſum Leuinus Apollonius ſic ſcribit. Vniuerſi tribus potiſſimum gentibus diſtinguuntur, quarum ſingulæ plures ſub ſe populos nominum ruuſus varietate differentes continent. Hæ gentes diſſimilitudine gaudent, & diuerſis linguis ſunt ſecretæ; frequenter etiam limites excedentes inter ſe bella gerere, & ferro iniurias vindicare diſcordes ſolebant, prius quam in vnius Gynacauæ ditionem ad Aequatorem vſque prouincia ceſſit: verum vti victoria eius cunctis ſub vnam poteſtatem redactis diſſidiorum facultas ablata eſt, ita apud proceres, & vulgus Cuſconica lingua, qua duntaxat ius dicebatur, voluptati ac ſtudio eſſe cœpit, ſic vt huius gnaro totius prouinciæ peragrandæ non difficilis facultas relinquatur. Fœminis lanea veſtis eſt ad talos vſque propendens; mares induſiolum ad ſuras vſque, & huic ſuperiectum palliolum geſtant. Quanquam vero idem ferè tota regione corporibus veſtimenti ſit genus, capitum tamen habitus mirifice variant, cum ſinguli pro vſitato patriæ more faſciolas tornatiles, multi ſimplices, plurimi verſicolores gerant; nec ferè ſit quiſquam, qui eo in capitũ ornatu, ſecundum patriam vſitationem, ab alteris non vehementer diſcrepent. Admirabilis vero omnes naturalis indolis ſimplicitas imbuit, adhuc vetuſtæ ruditatis hæres, qui ridiculas nobis negotiationes exercent, vix inexhauſtas ſuas auri, atque argenti gazas ſapiunt, atque informibus eorum maſſis dumtaxat vtuntur,

Peruuini aurum cõtemnunt.

vtuntur, quamquam aureorum, atque argenteorum emblematum non minore, quam nos, delectatione capiantur, quibus templorum, atque regiarum postes bracteato, sculptove opere fabrefactis plurimum exornant. In ea tamen vulgari simplicitate proxime Aequatori subiecti morum incommoditate, ac vitiis reliquos superant, qui ab multa hypocrisi taciturni, & compressis in labra verbis submurmurantes, non multum ab Iudęorum modo abhorrent, fœdæque marium libidini procliuiores, exiguo in precio mulieres habent, quas non vilissime modo sibi ancillari cogunt, sed vel leuissima offensione plagis acerrime acerrime excipiunt. Indusiolo leui vmbilicotenus vestiuntur, cæteras corporis partes, ne pudendis quidem saluo pudore, nudas relinquũt: crura brachiaque gemmatis sphærularum circulis ornant, & pertusis vtrimque malis, atque eorum labris, torcosios, atque smaragdos mirifice splendicantes hiatibus infixos gerunt. In eo ornatu tanta superbia est, vt eundem vxoribus inuideant, quibus nulla, vel ad perpetuos grauissimi solis æstus arcendos stragula vestium, præter tenue pudendorum præcingulum, conceduntur. Apud hos ostia templorum in Orientem porrecta laneo præpediculo sunt præclusa, in ipsis vero templis simulacra duo ad atrorum hircorum similitudinem sculpta adorantur, atque ad perpetuum cultum ante hęc certarum miri odoris arborum ligna cremantur, ex quibus dum cortices detrahuntur, tam acri odore adeps defluit, vt olentium nares, cerebraque teterrime afficiat; illita vero

Idola Peruuinorum.

defun-

defunctis aut gulis instillata(quemadmodum cupresso promanans resina) perpetuo ab vermiculorum iniuria, carieque vniuersa mortuorum cadauera vindicet. Apud Caraceos in supremis portarum peristylijs humana simulacra conspecta sunt striata Diaconi stola induta. Pasaones interfectorum puerorum virorumque corpora ad saxeos stylos mirificè aduersus putredinem præminuta conseruant, & capita truncatorum in pugni magnitudinem quadam materia mirabiliter extenuata, ad postes clauis affixa tanto artificio ostendunt, vt post multa etiam annorum spatia non ingratū odorem spirent. In vulgaribus vbique fere templis magnorum serpentum figuræ adorantur: super hæc singuli priuatis in ædibus vetere AEgyptiorum superstitione, pro vt cuique sua ars, atque opificium est, peculiares Deos ceu penates ac lares colunt. Omnis scientiæ prorsus expertes sunt, literarumque omnium, ac picturarum exortes, quæ apud Mexicanos literarum loco habentur. Laneis enim funibus vtuntur (quippos appellant) quibus implicitis diuersarum figurarum nodis numerum suppetant ab monade ad denarium, atque inde altius numerando gradatim ascendentes; nodis colores imprimunt rebus illis similes, quas indicare volunt. Singulos prouincia quælibet habet notarios, qui per colores rerum vel ante multos annos gestarum memoriā, ceu literarū monumentis haustam plebi insinuant, & si quid tum prouinciæ posteritate dignum geratur, fideli per eorum nodorum colores custodiæ demandant. communium legum septis coercentur

Figura serpentum adorata.

centur omnes,& in summa rerumpubl. moderatione egregius iurisdictionis est ordo, iustoque suppliciorum inflictu in sontes animaduertitur. Arma illis sunt ensis, hastile præpilatum, claua ferrea, securis argentea, aut aurea acie, fundi, & alia telorum genera: excurrere, seruare ordines, ferre opem expeditè norunt, nec virtute petitam mortem extimescunt, modo vel suis egregiam memoriam relinquere, vel accipiendi ab ducibus muneris locum facere possint. Hactenus ex Leuinio Apollonio.

Vrbs præcipua Peruuia.

Continet porro Peruuia prouincia intra suos limites quamplures vrbes, ac populationes, quarum præstãtiores, ac celebriores sunt: Portus vetus, Michaelia, Trugillum, Regium seu Lima, Arequipa, Quito, Cusco, Argyropolis, & Potosium. Quarum quinque priores ab Hispanis primum situs commoditate, & mercaturæ opportunitate allectis occupatæ sunt, & ædificijs more Europæo exornatæ.

Portus vetus vrbs.

Portus vetus, vulgo Porto veio, prima est vrbs ab Hispanis occupata, quæ Aequatori proxima est iuxta maris littus, & optimo portu gaudet, sed aere insalubri, ob idque infrequenter habitatur. Ad hanc autem nauigia appellunt, quæ vel in Peruuiam regionem tendunt, vel ab ea Panamaidem redeunt. Vicinus ager smaragdos in rupium lateribus suppeditat, quos perpolitos magno cum lucro varias in vrbes Hispani submittunt. Apud hanc vrbem effossa sunt ab Hispanis gigantum ossa, ac dentes, qui tres latitudine, & quatuor longitudine digitos exæquarent:

quod

quod quidem hominum genus indigenę affirmant quatuor virorum longitudinem exæquasse.

D. Michaelis vrbs.

Micheelia, seu D. Michaelis vrbs, Piura à Barbaris vocatur, estque secunda ab Hispanis occupata, iacetque supra fluuium Ciram, optimum portum habens: fertili etiam gaudet agro, sed auri, argentique fodinis experte, & peculiari ophthalmiæ morbo infami, qui, teste Leuinio, transeuntium oculos magno dolore impedit atque excruciat.

Trugillum tertia Hispanorum vrbs, agrum feracissimum habet frumenti præsertim illíus, quod incolis mayz vocatur, sed à nauigijs parum frequentatur, ob sui portus incommoditatem.

Regium vrbs primaria.

Lima, seu Regium, totius maritimi tractus excultissima Metropolis, in amœnissima valle ad ripam amnis iacet tutissimo in portu, ad duo passuum millia ab littore semota. Mira aeris temperantia gaudet, agro rerum omnium fertili, præsertim frumenti, fabarum, pisorum, & omni leguminum nostratium genere; atque etiam ficuum, malorum citreorum, arantium, limoniorum, & cæterorum frúctuum. Est prę terea populo frequentissima; namque quingentis ædificijs & amplius excolitur, ambitum comprehendens valde spaciosum, in quo sunt latę vię, amplum forum, & cultissimi ac amœnissimi horti. Condita fuit hęc vrbs à Francisco Pizarro anno 1535. & in ea residet nunc vniuersæ huius prouincę Audientia, Cancellaria, Prorex, & Archiepiscopus, cui subsunt Episcopatus hi, nempe Quito, Cusco, Guamantiaci,

tiaci,

tiaci, Arequipæ, Pas, Platæ, Trugilli, Guanugio, Cacapoiæ, Portus veteris, Guaiachil, Popoiani, Carchi, S. Michaelis, S. Francifci.

Arequipa. Arequipa quinta Hifpanorum maritima colonia, longe à mari duodecim milliaribus fœcundo ac falubri in agro ædificata eft, quæ trecentis amplius ædificijs nitet, & frequenter quidem habitatur, ob fui portus commoditatem, continuoque magis atque magis incolis, ac opibus augetur: fed tamen admodum diuexata fuit ab ingenti terræ motu anno 1582. quo omnes fere eius domus proftratæ funt, interemptis tantum modo 22. viris.

Mediterraneæ, ac montanæ vrbes præftantes funt, quæ fequuntur, in quibus Hifpani etiam colonias habent.

Quito. Quito vrbs, opulentia, & incolarum numero Regio Metropolitanæ vrbi fere par eft. AEquatoris lineæ fere fubiacet, nec tamen feruido, ac æftuofo potitur cælo, fed potius frigido. Eius ager femper virens eft, & omni frugum beatitudine floridus, vbi Europæi fructus fucco præditi mirifice aluntur, atque etiam domeftica animalia. Scatet etiam auri mineris, & Mercurio viuo crocei coloris.

Cufco. Cufco montanarum vrbium Regina, multitudine incolarum Regio non cedit, fed fodinarum opulentia longe fuperior eft. Hæc (ait Leuinius) ante Hifpanorum aduentum prouinciæ reges læta aulicæ pompæ fede fouebat, magno procerum, & gregariorum commercio iura hinc petentium celebrata, & inter Peruuinas fola, faciem vrbis præfert. Munitiffimam enim quadratorum maximæ magnitudinis

 faxorum

ſaxorum molem habet, quorum permagnam copiam vicini montes immenſiſsimis lapicidinis, petentibus, excidentibusque ſuggerunt, & indigenæ ſaxis erutis, & infinito labore, cum ijs oneribus trahendis, vehendiſque equi, ac boues deeſſent, vnum ad locum comportatis firmiſsimò egregiæ ſtructuræ operi adhibuerunt. Aedes, quas incolæ quondam poſſedere, eaſdem politiore paullo ornatu inſtauratas Hiſpani tenent: vniuerſa ciuitas, quæ magno hominum confluxu in dies augetur, regum inſtituto quatuor in partes, veluti tribus, diſpertita eſt, & in harum vnam ſeuero edicto impulſi, quicumque ciuitate donari, aut vrbem incolere vellent, recipere ſeſe debebant. Ager non frugum, aurearumque fodinarum, quarum ingens numerus circa ſcatet, felicitate modo gratioſus eſt, ſed mitiſſimi aeris, auræque placidiſſimæ tanta gratia commendatur, vt vegete ſaneque ingreſſo priſtinam valetudinem non facile immutet.

Lacus Titicaca. Agro Cuſconico diſiunctus magno ſatis ſpacio iacet ad Orientem lacus Titicaca, quem rapidiſſimus amnis, in Occidentem decurrens, aquarum in magnum ſe ſpacium effundentium efficit, ac deinde veluti intolerabili onere paulum ſolutus; in aluei ſui anguſtias redit, ſed iſthuc receptus, iterumque velut ante illabentium amnium mole increſcens, in alterum rurſus, ſed minoris magnitudinis lacum prorumpit, laxatisque tantę molis incubitu humeris liberius excurrens, obſcuro exitu euaneſcit in occultos, vt credi par eſt, naturæ ſpecus ſubſidens, & ſubterraneo aluei abſorpti cuniculo

in pe

in pelagus transmissus, quemadmodum Alpheum ex Peloponneso in Siciliam perlapsum olim ferunt. Hactenus ex Leuinio.

Argyropolis vrbs, seu Argentea, & vulgo *della Plata* quinta est inter montanas Hispanorum colonia, vt ait Leuinius. non magna quidem ciuium habitantium copia, sed eorundem incredibili opulentia insignis. Metropolis autem est prouinciæ Charcas.

Potosium etiam vrbs fodinis argenteis mire opulens est, è quibus immensa eruitur argenti copia, quæ vniuersam Hispauiam, ac Europam implet. Hæc satis sint de hac aurifera Peruuiæ regione. Qui de Ingarum, seu Peruuinorum regum magnificentia instrui desiderant, ingentia legant volumina, quæ de hac regione conscripta sunt.

Potosium vrbs.

CAPVT XXIII.

Chiliensis prouinciæ descriptio.

CHILE prouincia à Meridie Peruuiæ regionis iacet ad mare Pacificum exposita, quæ ab incredibili ipsius frigore nomen sortita est. nec autem pluuias, fulmina, & totius anni mutationem sentit, quemadmodum Europa. Estque partim maritima, partim montana, sed iuxta mare aliquanto incalescit. Fert autem omnifarios fructus ex Hispania allatos, & magnum etiam suppeditat pecudum & struthio-

Chile regio.

ſtruthionum numerum. Huius fluuij interdiu decurrunt, noctu vero frigore penè gelati tardè, ac debiliter incedunt. Incolę proceri ſunt, bene diſpoſiti, ac bellicoſi, quorum arma ſunt arcus, & ſagittæ, eorum veſtitus ex animalium pellibus, ac luporum marinorum fit. Metropolis eſt regionis D. IACOBI vrbs, vbi nunc noua Hiſpanorum colonia coaleſcit.

CAPVT XXIV.

In quo generatim America Meridionalis deſcribitur.

America Meridionalis forma.

PEninſula hęc Noui Orbis, quæ tota ferè in Meridiem porrigitur, Africæ & ingenti pyramidi perſimilis eſt, cuius baſis propè iſthmum eſt, ac verſus Boream; quam quidem illa terra efficit, quę Hiſpanis Firma vocitatur. Vertex ſeu cuneus ſenſim extenuatus ad Magellanicum definit fretũ verſus Antarcticũ Polum gradib. pene 53. ab Aequatore diſſidens. Orientale latus pulſatur vaſtiſſimo Oceano *del Nort* vocato. Occidentale vero ingenti clauditur itidem Oceano, qui vulgo Mare del Sur, & Pacificum vocatur. Totius huius continentis Meridionalis circumnauigationem ferunt complecti ſexdecim millia milliaria; cuius ſanè Orientalis pars à Maragnone fluuio ad Argenteum vſque fluuium, vulgo Rio della Plata, Luſitanorum iuris eſt; reliquum Regibus Hiſpa-

niæ acquiſitum eſt. In hac porro orbis portione ſunt continua ſerie à Borea ad Auſtrum expanſi montes ſpectatæ celſitudinis, ad quorum cacumina nec aues ſuo volatu aſcendere queunt: ab his ingentes exoriuntur fluuij, qui ad vtrumque Oceanum ſnas aquas mittunt: inter hos celeberrimi, & magnitudine admirandi ſunt plerique, nimirum Argenteus, & Maragnon. Argenteus, vulgo Rio della Plata dicitur, ab argenti nimirum copia. is enim quacunque tendit, agros, & incolas inexhauſta argenti opulentia afficit. Poſteà permultis influentibus amnibus adauctus, in Oceanum *del Nort*, ingenti oſtio quadraginta leucarum amplo præcipitat. Maragnon quoque fluuius in immenſam latitudinem ac longitudinem pateſcit; ferunt enim nauigatum fuiſſe ſex millibus milliaribus, ac eius oſtium 70. leucas cõplecti. Eſt præterea hæc noui orbis pars auri, & argenti miro prouentu beata, ac omnibus affluit rebus tã ad humanę vitæ neceſſitatem, quam ad delicias, nec deſunt in ea precioſi lapilli. Hoc tamen in primis maximo laborat incommodo; quod incolas habet moribus ferinis, ac pene inhumanos, quibus quidem humana caro ſuauiſſima eſt eſca, præter immunda animalia, ac inſecta, quæ comedere ſolent. Multę, imò inuumeræ in hac ſunt regiones, ac prouincię: quarum quædam cognitæ ſunt, ac ſatis exploratæ: nonnullæ vero vix nomen notum habent, quod vel ob eorum inopiam accidit, vel ob incolas bellicoſos, terribiles, ac indomitos. Nos autem de præcipuis tantum tractare decreuimus, quæ ſunt Caſtella

Argẽteus flu.

Maragnũ fluuius.

 aureæ,

aurea, Peruuia, Chile, & Brasilia, quæ ab Hispanis, & Portugallensibus satis cultæ sunt.

CAPVT XXV.

Continuata litoralis oræ descriptio.

PAnama & Theonymus duæ sunt sibi quasi oppositæ ciuitates, quarum illa Australi, hæc vero septentrionali Oceano alluitur. Panama in valle quadam angusta sita est, domos habet non adeo multas, nec sumtuose admodum ædificatas. Eo ex Peruana ftumentum, farina, gallinæ, mel & eiusmodi merces aduehuntur: reliqua solum circa oppidum progignit. Regio hæc olim valde populosa fuit, & auro admodum diues: sed iam vtrisque, tam incolis scilicet, quam auro, ab Hispanis exhausta est. Iter primi diei quod Panama ad Nominis Dei ciuitatem ducit, initio satis commodum est; at reliquum syluis alijsque viæ incommodis valde impeditum. Amnis interfluit, quem ob multiplices flexus & mæandros vix trium horarum spacio aiunt posse traijci. Naues Panama soluentes ad Tabogam primum & reliquas margaritarum insulas (quę supra XXV. ibi numerantur) primum appellunt; atque inde Occidentem versus instituto cursu, Currentium siue torrentium Caput prætervectæ, multas alias passim insulas obuias habent. Ex his Gorgona est, in qua

anama.

aiunt

aiunt cœlum octo continuos menſes pluere, ac tam crebra tonitrua exaudiri, vt cœlum terræ miſceri videatur. Ambitu duo Hiſpanica milliaria complectitur, totaque in altiſſimos montes exſurgit. In arboribus, quarum ingentes ibi ſunt ſyluæ, magna pauonum, phaſianorum, ac felium ſylueſtrium frequentia viſitur. mira quoque hic ſerpentum ac cancrorum marinorum tam magnitudo quam copia. AEſtas ibi incipit ſub finem Maij; eo ipſo tempore quo Panamę hyems initium ſumit. Ab hac inſula litoralis Peruanæ ora verſus Auſtro-occidentem porrigitur, vſque ad inſulam Galli. hinc occurrunt Punctum Manglarum, ſinus S. Iacobi vel lardorum, Punctum S. Matthæi, Caput S. Franciſci, quod ſub primo AEquatoris à parte ſeptentrionali gradu poſitum eſt: ac tandem portus Paſſao ſub ipſo AEquatore ſitus. Inter duo hæc Capita ſiue promontoria quatuor ingentes fluuij in mare exonerantur, Quiſinuæ Latinis appellati, vulgo Liquixini: Ab hoc portu ora litoralis verſus Auſtrum extenditur, vſque ad Portum veterem. Id vnum eſt ex eorum oppidorum numero quæ Hiſpani in Peruana exſtruxerunt. Tota hæc regio ob aeris inclementiam infrequens admodum eſt; quamuis non auri tantum & argenti, verum ſmaragdorum quoque diuites venas habeat, quas tamen vt indicarent Peruani, nullis tormentis adigi potuerunt, atque etiamnum quantum poſſunt, celant. Illud mirum (ſiue quod noxia fugiaut animalia, ſiue quod hyeme omnia longe lateque auctis fluminibus inundētur) quod incolę domicilia ſua in arborū

Gorgona inſula.

Portus vetus.

ramis tamquam nidos, exſtructa habent. Regionem hanc, quod tota paluſtris & equitibus imperuia ſit, Hiſpani ſero admodum, ac non ſine magna ſuorum clade ſubegerunt: quin etiamnum incolæ libertate gaudent, & Hiſpanis nihil aliud quam fructuum decimas ſoluunt. Hinc duobus circiter milliaribus abeſt oppidum S. Iacobi, incolarum frequentia non minus quam illud celebre. Non procul inde Via ſiue traiectus Gainacapæ viſitur, dignum ſane admiratione opus: cuius hanc ferunt originem. Gainacapa Atabalipę pater ad regionem hanc ſubigendam è ducibus ſuis aliquē validis cum copijs miſerat. Is eo profectus, flumini traijciendo rates conſtrui iuſſit. Impoſito iam ſuper eas milite ac bellico apparatu, accolæ fluminis funes quibus connexæ erāt trabes, ſoluerunt; ſicque diſſipatis ratibus, multi milites fluminis vi abrepti perierunt, in terram vero appulſi, ab hoſtibus occiſi ſunt. Hac ſuorum clade intellecta, Gainacapa ingentibus contractis copijs, Quitone profectus, multa loca cepit, & cruenta admodum victoria populos illos ſubegit. Inde lubido eum inceſſit, flumen hoc aggere ſiue ponte conſternendi. Quum ergo ingentis ponderis ſaxa, trabes aliaque materia in flumen congeſta, iamque agger ad viginti circiter paſſus exſtructus eſſet, flumen vero nihilominus curſum ſuum ad aliam partem ex aduerſo ſeruaret; Gainacapa tandem ab incœpto deſtitit, & molem hanc, non ſine ſpectantium admiratione, imperfectam reliquit. A portu veteri in eodem tractu, quatuor circiter milliaribus diſtat Caput &

Gaincapa traiectus.

put & insula S. Laurentij, vbi Peruani olim idolis suis oues, agnos, atque etiam infantes immolare, eorumque sanguine dæmonum laruos siue effigies illinere solebant. Caput hoc vno tantum gradu ab AEquinoctiali Austrum versus abest. Qui sub AEquatore & circa habitant, Iudæorum fere mores ac vitam exprimunt: vnde etiam pro Chami posteris à quibusdam habentur, Sodomitæ sunt; ac proinde mulieribus nihil apud eos contentius: quibus nullæ aliæ vestes quam exiguum pudendæ partis velamentum. Viri indusia gestant vmbilico tenus, pudenda nudi. Corpus atro colore inficiunt: capillos fere vt apud nos monachi tondent. Tam auribus quam naribus aurea emblemata & gemmas quasdam appendunt. Armillis etiam ex eadem materia non inconcinne factas onerantur magis quam ornantur. Magni ibi sunt æstus, ac proinde frequentes morbi. Piscationi in primis student, ad quam ratibus vtuntur. Oram soluentes, panem & alios fructus tamquam ad placandum Neptunum, in mare abijciunt, precantes vt & propitium ventum (velis enim vtuntur & remis) & felicem piscatum largiri ipsis velit. Templa habent, quorum portæ Ortum spectant. in ijs bina idola visuntur, capri figura, ante quæ semper ignis è beneolenti ligno fumat. Cedros esse id lignum nonnulli autumant, è quibus resina siue succus Elemi appellatus, promanat, qui viuorum mors & mortuorum vita dicitur: quod celeriter interficiat, & à mortuorum cadaueribus putredinem arceat. Serpentum quoque olim adorarũt imagines: tum singuli penates suos & deos quasi

Caput & insula S. Laurentii.

Accolæ AEquatoris.

tutelares habebant, piſcatores ſcilicet ingentis piſcis, venatores cerui aut alterius feræ imaginem. Circa promontorium Paſſao dictum templorum columnis appoſita erant crucifixorum cadauera, ſucco prædicto ita delibuta vt minime corrumperentur, nec fetorem vllum emitterent. Quin etiam eodem ſucco mortuorum capita ita extenuant, vt vix pugni habeant magnitudinem. Domos ex arundinibus fabricatas inhabitant, nec fructibus ad veſcendum idoneis, abundant.

Caput S. Helenæ.

Ab inſula S. Laurentij ad Caput S. Helenæ nouem computantur miiliaria. Ad ſagittæ iactum à ſinu fons eſt, è quo quatuor aut quinque venæ in mare exeunt, bitumen eijcientes, quo Hiſpani ad naues appicandas vtuntur. Narrant Peruani, ijs in locis quondam gigantes monſtroſæ magnitudinis habitaſſe, qui multos incolarum interfecerint ac conſumſerint. Tandem iuuenem inſtar ſolis radiantem cœlitus delapſum, igne ac flammis eos perdidiſſe: qua quidem in pugna rupes flammis tactæ diſſilierint, eius rei indicia & manifeſta ſigna adhuc conſpici aiunt. Fabuloſa hæc Hiſpanis hactenus habita ſunt, quoad Ioannes de Helmos Trugillienſis, Portus veteris præfectus Anno MDXLIII. humum quibusdam locis effodi iuſſit, vbi tantæ magnitudinis oſſa reperta ſunr, vt homiuum ea fuiſſe nemo vmquam crediturus fuerit, niſi capita quoque ibidem inuenta, fidem feciſſent. Vnum dentem ferunt tres digitos latum, & quinque longum fuiſſe, & dodrantem ac libram appendiſſe. Ex eo creditum eſt, gigantes illos non homi-

hominiuoras tantum, ſed Sodomitas quoque fuiſſe, ac ſimili exitio ob id diuinitus deletos.

A Capite S. Helenæ ad Tumbes fluuium vndeviginti ſunt milliaria, à quo quatuor milliaribus abeſt Puna inſula, nunc S. Iacobi dicta: cuius ambitus ſeptem eſt milliarium & dimidij. Non frumenti tantum & reliquarum ad victum pertinentium rerum, ſed auri quoque & argenti ferax olim fuit: ſed incolis Hiſpanorum crudelitate abſumptis, & opibus eorundem auaritia exhauſtis, multum iam à priſtina felicitate degenerauit. In hanc Pizarrus appulſus, de Peruanis diuitijs primum cognouit. In eadem Vincentius de Valle Viridi monachus ac poſtea primus in Peruana Epiſcopus (qui belli contra Atabalipam præcipuus auctor ac ſuaſor fuerat) Didaci Almagri tyrannidem fugiens, cum XXV. Hiſpanis ab inſulanis trucidatus fuit. Tam hæc inſula quam vicinus ad Guaiaquilem & Portum veterem tractus herbam illam ſiue radicem profert quam Salſaparilliam dicimns, cuius ad Veneream luem ſanandam magnus eſt vſus. Inſulani recentem inter duos ſilices contundunt, exque ea ſuccum expreſſum ægris propinant, pauxilla calida admiſta. Non procul inde patentiori mari alia inſula ſita eſt, S. Clara dicta, ſed tota habitatoribus vacua, in qua Punenſes olim mortuos ſuos tumulabant, additis pro more gentis, precioſis admodum ex auro, argento, gemmis & veſtibus, theſauris: quos ſub Hiſpanorum aduentum ita occultarunt, vt ne minimum quidem hactenus indagari aut

Puna inſula.

reperiri potuerit. Tumbesij fluuij ripa vtraque frequentes habet accolas, olim tamen multo habuit frequentiores. Ad eum arx siue turris ab Ingis Peruanis exstructa, ingentem seruauit thesaurum. Ibidem templum fuit Soli dicatum & Mamaconarum collegium siue conuentus. Dicuntur autem Mamaconæ religioni consecratæ Virgines, vt apud Romanos quondam Vestales: quæ à vulgo segregatæ, totam vitam deuotione & idolorum cultu transigebant. Ostium Tumbesij sub IV. gradu vltra AEquinoctialem est positum. Inde ad promontorium Album XI. numerantur milliaria. Sequitur mox insula Luporum: in quo interuallo promontorium iacet de Parina vel Pariana vulgo dictum. Inde tractus terræ rursus ad Austro-occidentem sinuatur ad Paitam vsque: quo interstitio S. Michaelis ciuitas comprehenditur. Paita commodissimus est portus, præsertim ad naues reficiendas: eoque maxime omnium frequentatur. situs vero est sub V. gradu. Ab insula hac aliquot aliæ stationes siue portus reperiuntur, at plerique non satis tuti, ad Trugillensem vsque: qui & ipse nauibus non multum securitatis præbet. Ager circa Trugillum oppidum frumenti ac pecoris admodum ferax est: ipsa vero ciuitas eleganter & concinno ordine exstructa, domos circiter trecentas habet. Vix alius tota Peruana locus est, ad comeatus, qui copiosi omnis generis hic inueniuntur, nauibus inferendos opportunior. Ab hoc oppido ad S. Michaelis coloniam XXX. numerantur milliaria: quo in itinere primum occurrit vallis Motupa, lata admodum & modice fertilis, ob aquarum

Paita portus.

penuriam

penuriam. Tribus inde milliaribus abeſt vallis Xaianca, tria patens milliaria, & amœno fluuio irrigata. in hac olim complura magnatum fuere domicilia. Sequitur vallis Tuquem, non minus amœna, ac frequentibus ſyluis conſita. Vnius diei itinère diſtat vallis Cinto: inde ad aliam Colichem nomine, ac porro ad vallem Zanam, ac vlterius ad Paſcamaio peruenitur. Poſterioris huius vallis incolæ antequam ab Ingis ſiue Peruanis Regibus deuicti eſſent, à vicinis valde metuebantur. Religionem crebræ templorum ruinæ teſtantur. Cancama vallis præter fruges & fructus omnis generis, ſacchari quoque prouentu gaudet: inque ea monaſterium eſt Dominicanæ familiæ. Vallis vero in quo Trugillum oppidum iacet, Cinto dicitur, vbere, vt diximus, rerum omnium affluentia felix.

CAPVT XXVI.

Tractus terræ inter Trugillum & Limam, ſiue terreſtris itineris deſcriptio.

TRugillum à Lima abeſt LX. Hiſpanica ſiue XLVIII. Germanica milliaria. Totum illud ſpacium arenis ſquallet, præter paucas aliquot valles. Harum prima eſt Guanape, potu olim, Cicani colis dicto, qui ibi conficiebatur, celebris. Portum habet percommodum, & agrum irriguum ac ſatis fertilem. Sequitur Santa vallis, quæ bellicoſos olim incolas habuit, aſtu magis

gis quam virtute ab Ingis tandem deuictos. Aiunt olim multa hominum millia hic habitasse, quum iam in vniuersum vix quadringenti reperiantur. Bidui itinere, quod per arenas faciendum est, hinc abest Guanibacio vallis, fertilitate ceteris par. Inde Guarmeij sequitur, pecore & armentis abundans. Parmongam inde venitur, vbi adhuc arcium aliorumque ædificiorum rudera visuntur. Sesquimilliari hinc distat Guaman fluuius, Barranca etiam dictus. Vnius diei itinere huic abest Guaura vallis, in qua Lima sita est, quæ ciuitas primum à Cusconica regia locum obtinet, vtpote & Proregis & Archiepiscopi sedes. Domos habet ad modum nostratium valde superbas, forum peramplum, vias latas, & ad forum rectà ducentes. Fluuius atque ex eo diducti riuuli magnas tam ad purgandam vrbem quam hortulos irrigandos aliosque domesticos vsus, ciuibus afferunt commoditates: qui diuites admodum sunt, immo inter priuatos reperire est quorum facultates centum & quinquaginta Ducatorum millia excedant. Hinc naues soluunt tantis opibus instructæ, vt vna supra octies centena Ducatorum millia vehat, Nullibi in tota Peruana temperatiorem aerem, aut agrum lætiorem ac fertiliorem esse scribunt. Trium Regum quoque ciuitas dicitur, quod eo die Hispani eo appulerint. Hyemis & æstatis exiguum ibi est discrimen, quodque vix sentiri possit: nisi quod quatuor hybernis mensibus mane ros cadat assiduus, nebulæ instar, sed salubris, quibus enim caput dolet, ij si hoc rore caput lauerint, alleuamentum sentiunt. Vnum huic

Lima siue Regium.

ciuitati

ciuitati deest, quod scilicet ligna pleraque vitiosa sint, ac intra paucos annos carie absumantur. Raræ, immo nullæ ibi pluuiæ. Ciuitas hæc in reliquas omnes imperium habet, vt sunt, Cusco, Quito, Guamanga, Arequipa, Pax, Plata, Trugillum, Guanuco, Cachapoia, Portus vetus, Guaiaquil, Popaian, Carchi, S. Michaelis fanum, fanum S. Francisci, &c. quæ singulæ Episcopales sunt.

Porro omnes Peruani qui planitiem inhabitant, in tres veluti classes distribuuntur. Prima est eorum qui Iungæ dicuntur, quique calidas incolunt regiones. Secunda Tallanes nominantur, tertij Mochicæ: qui omnes diuerso vtuntur idiomate, quamquam Cusconicum apud magnates ita vsitatum sit, vt apud nos sermo Gallicus. Probro enim Peruani Reges sibi ducebant per interpretem vasallos alloqui: eoque Guainacapa mandauit vt omnes Reguli ac dynastæ filios suos ad discendam linguam in speciem, reuera ad fidem eorum his quasi obsidibus adstringendam, ad aulam mitterent.

CAPVT XXVII.

De ventis & pluuiis in Peruana regione.

ANtequam litoralem oram persequamur, non abs re fuerit caussas indicare, cur in planis Peruanæ regionibus nullæ cadant pluuiæ, quod plane præter rationem fieri videtur, quum ab vna parte mare continuos fere exhalet vapores, ex altera vero montes niuibus operti iaceant, ac multis scateant aquis. Verum vt huius rei caussam melius intelligamus, sciendum est, in montanis Peruuiæ regionibus æstatem initium sumere mense Aprili; hyemem vero Octobri, eadẽ fere qua in Hispania ratione & temperatura. Hibernis mensibus Peruani agris colendis & sementi faciendæ dant operam: ac dies fere noctibus sunt æquales. Contraria plane ratione in planis regionibus tum quum in montanis æstas incipit, hyems initium sumit: ita vt inter mirabilia hoc quoque merito referri possit, quinam scilicet fiat, vt in vnius & eiusdem prouinciæ regionibus non ita longe a se inuicem dissitis tanta sit temporum diuersitas, immo contrarietas. Mane enim à montana reliqua regione profectus, vbi multæ sunt pluuiæ, ante noctem eo peruenire possis vbi nullæ vnquam pluuiæ aut raro admodum cadunt. Quæ quidem res agri qua in planitiem exspatiatur, culturam difficiliorem reddit; siquidem magnis laboribus aqua passim è fluuijs deducenda est: quæ vbi deest

deeſt,terra nullas omnino fruges, immo ne gramen quidem producit. Ac tota quidem hyeme in planis regionibus in aere nubes denſæ videntur,quæ tamen nullum imbrem aut pluuias ſed exiguum dant rorem, qui arenæ puluerem vix comprimit. Quinimmo tanta eſt nubium denſitas, vt ſæpe per multos dies continuos ſolis aufferant conſpectum. Videri ſane alicui poſſet, nubes à celſiſſimis montibus attrahi quodammodo,aut in eos ita ſubſidere vt à patentiori cœlo ſiue aere veluti excludantur. Vt enim altiſſima ſunt montium iuga,ita planities mirum in modum humilis eſt,vbi quotieſcumque ros potius quam pluuia cadit, aer in montanis purus ac ſine vllis nubibus conſpicitur. Nec minus illud mirum, quod toto fere anni tempore vnus idemque ventus in campeſtri regione ſpirat, nempe Auſtro Occidentalis:qui apud nos quidem & alibi humiditatem cauſſatur,hic vero contraria plane ratione ſiccus eſt.Id inde fieri Linſcotanus autumat, quod ventus is, à montibus, quos adflat, quaſi repreſſus,nulols humores vel è mari vel terreſtribus paludibus attrahere,& ad mediam aeris regionē euehere poſſit.Eodem vento æſtus ſiue curſus maris Auſtralis verſus Septentriones perpetuo impellitur,ſic vt Panama in Peruanam tendentibus difficilis admodum ſit nauigatio. Illud quoque animaduerſione dignum videtur,quod ſub AEquatore aer alibi æſtuoſus ſit & humidus,alibi frigidus & humidus,in Peruanæ vero planitie calidus & ſiccus : vnde ſi verſus alterutram partem vel paullulum digrediaris,crebras, immo continuas hybernis

quidem mensibus inuenies pluuias.

CAPVT XXIX.

Regionis inter Limam siue Regium & Arequipam descriptio.

TRibus à Lima siue trium regum ciuitate milliaribus Pachacama vallis sita est, totius Peruanæ tam amœnitate quam diuitijs & incolarum superstitione quondam celebratissima. In ea templum fuit, colli inædificatum, è saxis quadratis & argilla exstructum, cuius fores supernæ, vt & muri, non ineleganti pictura ornati erant. In meditullio templi idolum stabat, cui sacerdotes sacrificaturi, tergum obuertebant, ac horrore quasi consternati, quem oculis & toto corpore restabantur, non aliter quam præsentem Deum venerabantur. Aiunt laruato huic dæmoni magnum bestiarum numerum, atque etiam homines interdum immolari consueuisse: etiam festis aliquando diebus responsa ab eo data, miseris illis non secus quam Delphica illa quondam, oracula credita. Ingens in hoc templo congestus erat thesaurus, eiusq; sacerdotes etiam à Regibus & dynastis in magna veneratione habebantur. Nec minus ipse locus sacer censebatur, adeo vt mortuum ibi aliquem sepelire nefas esset. Circa templum longa stabat ædificiorum series, ad peregrinantium siue locum eum religionis ergo visitantium vsum, qui magno numero eo confluebant, & idolo

Pachacamaidolū.

& idolo munera offerebant. Poſtquam Cuſconici Reges vallē hanc in ſuam redegerunt poteſtatem, Soli quidem maiorum more & exēplo templum ædificare cōſtituerunt, & tamen loci illius maieſtate & ſanctitatis opinione territi, vetus illud non modo non deſtruxerunt, ſed etiam prouentibus & muneribus cohoneſtarunt. Hanc nouæ ſuperſtitionis acceſſionem dæmon ille Pachacamanus non ægre tulit, ſed & plurimum hoc quaſi collega addito lætari ſe teſtatus eſt. Quin etiamnum deiectis templis, & confractis idolis, idem ſecreta barbaris reddens oracula, ſe & illum quem Hiſpani prædicent, vnum eumdemque Deum eſſe iactare dicitur, vt ita miſeros veteri ſuperſtitione faſcinatos detineat, & pro vero Deo adorādum ſeſe obtrudat. Quā ad rem aptum ſibi & plauſibile nomen finxit, quum Pachacama nihil aliud ſonet quā Mundi creatorem. Capto Atabalipa Pizarrus fratrem ſuum Ferdinandum ad templū hoc ſpoliādum miſerat. & quamuis is ſatis magnum ibi nactus ſit theſaurum, melior tamen pars iam ante à ſacerdotibus ablata fuerat, quæ vbi recondita ſit, etiamnum ignoratur.

Cilca vallis. Poſt Pachacamam Cilca vallis eſt, quæ nec vllo fluuio aut riuis irrigatur, nec pluuijs madeſit, & tamen Maizium ſiue Indicum frumentum copioſe profert, incolarum magis induſtria & labore, quam terræ beneficio. Eius vero ſerendi hanc obſeruant rationem, vt ad vnumquodque Maizij granum, vnum vel bina ſardorū (piſcis genus eſt) caput depingāt, quorū humore illud nutritur, donec

tandem ad maturitatem peruenit. Duobus milliaribus paullo plus hinc abest Mala vallis, amne irrigua, cuius ripa pulcris arboribus vestitur. Quatuor milliaribus inde distat Guarco vallis, celebris apud Peruanos nominis, ob copiosum eorum fructuum qui Guyuas & Guauas incolis dicuntur, prouentum. Ibidem magna omne genus volucrum est copia; tum syluæ contra æstum gratam vmbram præbentes; per quas decurrentes riuuli grato cum murmure audiuntur. Habitatoribus olim vallis hæc admodum referta fuit, tam bellicosis vt in vicinos etiam diu obtinuerint imperium, & ab Ingis seu Cusconicis Regibus ægre potuerint superari. Quamuis autem ijdem Ingæ æstiuo tempore Cusconem, ob nimium æstum, reuerti solerent; copias suas nihilominus & exercitum in hac valle continuo alebant, ob promtam comeatus facultatem: immo nouam ibidem Cusconem exstrui cœperunt, quæ tamen populis illis subiugatis, deserta fuit. Exstat tamen hodieque arx, tamquam victoriæ Ingarum trophæum, colliculo imposita. & mari tam propinqua, vt gradus quibus ad regium hoc palatium ascendebatur, vndis alluantur. Quum hanc arcem tum reliquas vrbis ruinas tanti artificij, laboris ac magnificentiæ signa præ se ferunt, vt videntes stupore quodam defigant.

Cincia vallis.

Cincia vallis ante Hispanorum aduentum XXV. habitatorum millia habuisse dicitur, è quibus vix quinqua millia iam restant. In hac monachi Dominicani monasterium habent.

Vna

Vna hæc eſt ex totius Peruanæ maximis & fer-
tiliſſimis. Volupe eſt ibi videre arbores ſem-
per virentes,tum riuulos dulci ſuſurro ſubter-
labentes: ac Citrones ibi ſunt.Hiſpanicis mul-
to ſuauiores,vt & alij eiuſmodi fructus. Syluæ
paſſim omnis generis volucrum cantu & garri-
tu reſonant:ferarum tamen mira eſt paucitas.
In tumulis ſiue colliculis crebra erant defun-
ctorum ſepulcra & monumenta;è quibus aper-
tis & dirutis Hiſpani magnam auri & argenti
vim aſportarunt.

Hinc ad aliam vallem,Icam nomine, perue- *Ica vallis.*
nitur,non minus populoſam.Hanc quoque flu-
uius irrigat, qui tamen menſibus quibuſdam
ita decreſcit,vt incolarum vſui ſatis futurus
non ſit,niſi per canalem quemdam è montibus
aquam haberent deductam.Sequitur fluuius &
vallis Naſca Caxamalca etiam dicta , & ipſa
incolis olim frequens, nec tamen tot Naturæ
donis beata.

Per has valles omnes ſtupendum illud Pe-
ruanæ magnificentiæ opus , Via ſcilicet
regia tranſit,de qua poſtea
dicemus.

Capvt XXX.

Montanæ Peruuiæ tractus.

PERVVIA montana in vniuersum secundum longitudinem quingenta viginti quinque Hispanica, vel quadringenta & viginti Germanica, aut bis mille & centum Italica cōplectitur milliaria; secundum latitudinem vero alibi septuaginta quinque Hispanica, siue sexaginta Germanica, alibi plus, alibi minus, patet milliaria. Longitudo à vero Quitone ad ciuitatem della Plata sumitur. In hac vero Peruuia tria sunt montium genera, quorum tractus ab omni hominum cultu est desertus. Primo Andes sunt montes syluis obsiti; vbi nec aer nec terra colonos fert aut habitatores. Secundo nō procul ab Andibus alij sunt montes, quorum cacumina perpetuis niuibus candent: tantaque hic frigoris vis est vt terra gelu adstricta nihil proferre possit. Tertio montes sunt arenosi, à Tumbez fluuio ad Tarapacam vsq; extensi, vbi nec gramen, nec arbor, nec vllum animantium genus reperitur, præter supervolitantes volucres. Sed & præter hos montes vastæ passim sunt solitudines: omnisque hominū habitatio fere intra valles concluditur, quæ mirū in modum amœnæ sunt & fertiles.

Loca deserta Peruuiæ

Montanæ regionis incolę, quod mireris, ceteris qui campestria inhabitant, & omni virtute & ingenij acumine, inprimis reipublicæ administrandæ peritia præstātiores sunt. Domos habent è saxis constructas, & partim argilla siue cespite, partim stramine ad arcendas pluuias, contectas. Qui vero locis cāpestribus

maris

maris oras accolũt, tectis eam quidem ob causam, nihil opus habẽt, quum pluuias, vti diximus, numquam sentiant; ædes tamen ad defendendum solis ardorem, pictis stòreis, aut arborum etiam ramis tegunt. Ex his vallibus infiniti fere fluuij in Australem Oceanum deuoluuantur, prata passim & agros irrigantes, omniaque terra nascentia abunde producentes.

CAPVT XXXI.

De populis & regionibus inter Pastonem & Quitonem sitis.

PAsto oppidum siue pagus in Atri Valle situs èst, quæ pars est Quilacingæ regionis. Incolę vtriusque inuerecundi, inciuiles, ac proinde vicinis despecti. Eandem Pastonem Funes sequitur, inde Iles, ac porro Gualnatara & Ipiules: quibus locis omnibus frumentum ob frigoris vehementiam (quamuis ab Æquatore non longe absint) parce prouenit. eius vero loco Papis & alijs radicibus vescuntur. Ab Ipule Guacam peruenitur, quo in itinere Via regia occurrit, quæ non minus admirationis habet quam Alpes olim ab Hanibalę excisæ. Intermedius quoque est fluuius, ad cuius ripam Peruuiæ reges arcem exstruxerant, belli contra Pastonianos sedem. Fluuium hunc pons iungit, à Natura ipsa tam apte ac scite factus, vt omnem fere humanæ artis industriam superet. è viuo constat saxo, in cuius medio oculus est siue foramen, ita tamen vt transitum non impediat, vnde magno impetu subterlabens fluuius conspici potest. Non procul inde fons

Pons à Natura factus.

fons est aquæ calidæ; quamuis & ipse fluuius & totus ille tractus valde sint frigidi. Eum quidem pontem Peruuiæ reges arce ad impediendum transitum, munire statuerant. Fructus ibi reperitur, Mortunnos dictus, pruni magnitudine & figura, nigri coloris: qui comestus, ebrietatem vel potius insaniam atque animi impotentiam parit: ea tamen post viginti quatuor horas desinit. Guacam regiunculam Tusa excipit, vbi fines sunt Pastonianæ prouinciæ. Inde progredientibus Mira fluuius occurrit; vbi aliquanto clementius est cœlum, & terra fecundior. vtpote quæ Melones & eiusmodi fructus præstantissimos progignit: tum etiam cuniculos, perdices, columbas, & in primis frumentum, hordeum, &c. affatim præbet. Hinc via Caranguem ducit: antequam vero eò perueniās, lacus traijciendus est, Aguarcocia, id est, cruentus, Peruanis dictus: quod paullo ante Hispanorum aduentum Guainacapa Peruuiæ Inga siue Monarcha, ob contumeliam sibi illatam ad viginti hominum millia è vicinis regionibus ibi interfici iusserit, quorum cadauera in lacum proiecta, eumdem cruore suo tinxerunt. Carangue porro structuræ quædam sunt & ædificia, quæ singulari nitore & elegantia nullis in Peruuia concedunt. Cisterna ibi visitur, politissimo saxo incisa. Non procul inde absunt regia Ingarum palatia, & templum Soli dicatum, in quibus ducentæ Vestales magna cura & sollicitudine custodiuntur, & quod mirum, impudicitiæ aut stupri conuictæ, viuę itidem vt apud Romanos, defodiuntur,

Carangue præsidia via arx.

untur, aut ſtrangulantur. Templum hoc in pręcipuo apnd Ingas erat honore, qui tantas eò opes congeſſerant, vt nobis iucredibiles videantur. Nam præter immenſam vaſorum ex anro & argento, cultui dicatorum multitudinem, parietes ipſi quoque aureis & argenteis laminis obducti erant. Licet autem hodie templum id deſtructum ac deſpoliatum ſit; relliquiæ tamen etiamnum priſtinæ magnificentię veſtigia oſtendunt. Caranguiana ædificia ad regiorum præſidiorum vſum erant deſtinata, quæ Peruani Reges ad populos illos feroces in officio continendos perpetuo ibi alere ſolebant. Hinc Otaballum & Coceſquium peruenitur, ad ſimilem vſum deſtinatas manſiones; ac tandem Guallabambam, quæ tribus à Quitone milliaribus abeſt. AEſtus ibi ſatis magnus eſt, ob Aequatoris vicinitatem, nec tantus tamen vt vel hominum habitationem, vel terræ fecunditatem impediat. Ex quo vno vetus ille ſub AEquatore, id eſt, in Zona torrida, vt vocant, habitari poſſe negantium, error facile conuinci poteſt. immo compertum eſt ijſdem in locis æſtatis quoque & hyemis eſſe viciſſitudines, & alibi frigus, alibi æſtum, pro loci ſcilicet ratione, ſentiri. Hac in via multi fluuij occurrunt, pontibus conſtrati: ad quos frequentia olim domicilia viſebantur, aliaque admiratione digna. Sed iam miſere omnia vaſtata ſunt, niſi quod in quibuſdam domicilijs Hiſpani iumentorum & pecorum ſtabula habent.

Mira templi opulentia.

CAPVT XXXI.

Quitonis vrbis ac prouinciæ plenior descriptio.

Quitonis fertilitas.

CAput earum vrbium quæ in montana Peruuia à Christianis incoluntur Quito est, in valle Anaquito, paullo vltra AEquinoctialem (quinque milliaria nonnulli computant) sita: olim quidem, ob ingentem hominum ad auri & argenti mineras concursum, valde frequens, & mirum in modum opulenta. Etsi vero terra ipsa sterilis videtur, nihil tamen fere est omnium rerum quod non abunde hic reperiatur. Aere inprimis salubri gaudet: eadem fere temperatura qua Hispaniæ quædam regiones. AEstas mense Martio sumit initium, & ad Nouembrem vsque durat. Et quamuis aer aliquanto sit frigidior, plerique tamen fructus qui in Hispania, feliciter proueniunt. Totius huius prouinciæ incolæ bellicosi fuerunt, ceteris tamen ciuiliores. Ouium hic (quæ Camelis similes, supra à nobis descriptæ sunt) nec non suum, gallinarum nostratium, tum cuniculorum, caprarum perdicum & varij generis volucrum magna est copia. Præter Maizium siue frumentum (quod Peruani ad vsum in horrea condunt) Papis ijdē magnam partem victitant. Radices sunt, quæ vel assæ vel elixæ, castanearum referunt saporem. Aliud radicis genus est, Quinua incolis dictū, cuius truncus viri exæquat staturam. Is semina quædā seu grana fert, albi aut etiam rubri coloris: è quibus decoctis Peruani, in hac præsertim prouincia, potum conficiunt non ingratum. Iisdem etiam grauis, vt nos oryza, vescuntur.

tur. Mirum ac pæne ridiculum illud est, quod viri hic lanificio vacant (nihil tamen intermissa armorum tractatione) mulieres vero agris colendis dant operam. Quitonem metropolim sequitur S. Francisci oppidum citra Æquatorem in angusta valle positum, ac quasi sepultum. Aer hic frigidus magis quam calidus. Inde ad palatia Tumebambam dicta iter est triginta milliarium, ac porro Panzalconem. Tractus huius incolæ non capitis tantum tegumentis (quorum diuersitate Peruanæ populi vtplurimum dignosci possunt) verum etiam lingua à vicinis differunt. Viri capillos, quos promissos alunt, nodo siue fascia adstringunt. indusia gerunt sine manicis, nec aperta nisi qua caput & brachia exserunt. Iis pallia è lana vel gossypio inijciunt: & magnates quidem grato sibi aliquo colore picta. Feminis itidem satis decorus est vestitus, eædemque morum grata quadam venustate ceteras omnes totius Americæ superare dicũtur. Duobus à Panzalcone milliaribus abest Mulaballo pagus, ad cuius dextrũ latus mõs est nõ minus quã Aetna formidabilis. Inde per Tacungã (quæ ædium magnificentia, vt adhuc rudera testãtur, cũ Quitone certasse fertur) Muliambatũ, Mociã, Riobambã ad Puruas prouinciã peruenitur, quę aeris salubritate, cãporũ fertilitate, præstãtissimorũ fructuũ & herbarũ prouẽtu Hispaniç vix quidquã concedit. Tumebamba ciuitas in valle quadã ad duorũ amniũ confluentem sita erat (hodie enim ruinæ tantum exstãt) solo omniũ rerũ fertili. Templũ habuit Soli dicatũ, ex ingentib. saxis, partim viridis partim nigri coloris. Iaspidi nõ multũ absimilibus

Tumebamba ciuitas

vna

vna cum regio Palatio varijs picturis exornato: cuius fores lamina aurea ſmaragdis hinc inde diſtincta, obductę erant. Bracamoros regionem Ioannes Porzel & Vergara primi adierunt, ac tribus colonijs frequentarunt. Quitone LX. diſtat milliaribus. Quadraginta quinque milliaribus vlterius Cachapoyas prouincia ſita eſt, in qua Hiſpani arcem habent validiſſimam, ac pæne inexpugnabilem, Frontieram nomine. Eleganti forma candidæ ibi ſunt mulieres, & ſingulari morum venuſtate præditæ. Guanca regio mira aeris ſalubritate gaudet: cuius, vt & Cachapoyæ incolæ, Hiſpanorum premuntur ſeruitute, vt & Caſcaiungini. In omnibus his prouincijs Ingæ olim ſiue Cuſconici reges horrea & armamentaria ſua habuerunt. Earum nonnullæ auri habent fodinas. Vtriuſque ſexus homines veſtibus amiciuntur: quas mira, vt & tapetia ac aulæa, conſiciunt elegantia. Pleræque omnes frumenti, hordei, ac ceterarum ad victum pertinentium rerum ſunt fertiles. Moribus & cærimonijs ijſdem fere quibus reliqui Peruani vtuntur. Mortuorum ſepulchris magnam auri & argenti vim inferunt. Solem diuinis colebāt honoribus, cui paſſim multa ac precioſiſſima delubra conſecrata viſebantur: quorum ſpolia Hiſpanos locupletarunt.

Guanuco vel Legio, colonia.

Vltra Andes Malobamba alijque amœni fluuii occurrunt, quibus ſuperatis Guanucum peruenitur. Oppidum hoc Legio quoque dicitur, à Vacca de Caſtro Legionenſi denominatum. A Cachapoya quadringenta circiter diſtat milliaribus. Situm eſt loco admodum ſalubri, & fer-

tili

tili supra modũ. Præter domesticos & natiuos fructus mala fert cydonia, limones, citrones, ficus, aliosque id genus fructus. In montib. quoque leones, vrsi ac similes feræ obuersantur. Indicarum ouium olim incredibilis hic fuit multitudo; quarum maximam partem bellum absumpsit. Hariolos olim suos habebant, qui ex astrorum obseruatione futura prædicebant. Cum viris mortuis viuæ vxores sepeliuntur, quæ non adeo Venereæ sunt vt alibi. Argenti fodinæ circa hoc oppidum reperiuntur.

S. Ioannes de la Victoria, seu Guamanga.

Quadraginta hinc milliaria ad aliam Hispanorum coloniam numerantur, S. Ioannes de Victoria di Guamanga dictam. Eam Franciscus Pizarrus nondum subacta tota regione, ad prohibendas Peruanorum excursiones, & itineris inter Cusconem & Limam securitatem Anno MDXXXIX. ædificauit. Aeris hic quoque optima est temperies. Ciuitatis ædificia elegantia sunt, è saxis fabricata, & turriculis ornata. In agro suburbano circa oppidum Hispani complura habent stabula pecorum & armentorum. Præcipuus huius tractus fluuius Vinaque dicitur: ad quem rudera videntur ædificiorum quorumdam, à Peruanis forma valde differentium. Fama est, sed incerta, iam olim illa ab aduenis siue peregrinis nescio quibus esse condita. Frumentum ibi magna copia colligitur, è quo panis confectus, bonitate etiam optimo qui in Hispania pinsitur, nihil concedit. Reliquarum etiam frugum & fructuũ copiosus est prouentus. Guamanga (sic enim vulgo dicitur) Cuscone quadraginta quinque, plus minus, distat

milliaribus. Hoc in itinere campi occurrunt Chinpas dicti, in quibus cruentum illud proelium inter Vaccam de Castro & Didacum Almagrum commissum fuit. Octo à Guamanga milliaribus abest Vilcas fluuius tam regio Palatio quam Solis templo nobilis. Per regiam hinc viam ad quinque milliaria tendentibus Vramarca occurrit, vbi pons est, duos tantum habens arcus, miro artificio constructus, & centum sexaginta sex passus longus. Vilcas fluuius è Soras prouincia manat, auri & argenti ceterarumque rerum diuite; cuius incolæ bellicosi, ac propterea magno in precio apud Ingas olim fuerunt. Tredecim hinc milliaribus Apurima abest fluuius, totumque hoc iter rupibus impeditum, ac multorum etiam iumentorum, quæ auro onusta in subiectos hinc fluuios delapsa perierunt, præcipitijs, fame. Superatis inde Xilaconganis montibus, vallis XaquiXaguana occurrit, plana admodum, in qua Cusconici Reges olim palatia quædam habuerunt, ad quæ animi recreandi caussa interdum excurrere solebant. Hinc Cusco sequitur, de qua mox.

Pons artificiosus.

CAP.

CAPVT XXXII.

Cusconicæ Regiæ descriptio.

CVsco vniuersæ quondam Peruuiæ, quam late patebat Ingarum imperium Caput & Metropolis, à Mango-Capa primo huius stirpis Imperatore condita fuit, loco admodam aspero & montibus vndique cincto. Duos habet fluuios non magnos illos quidem, sed ad vsum & voluptatem commodissimos. Eorum vnus mediam vrbem perlapsus, ad Occidentem tendit, ab vtraque ripa ædificijs frequens. Ad Orientem vallis est; quæ tamen ob intensum frigus, vix vllas fert fruges aut arbores. A latere Septentrionali olim monti imposita arx stetit, è qua hodie fundamenta tantum & turres aliquot supersunt. Ad Orientalem itidem & Septentrionalem plagam obiectas habet Andesuyo & Ciniasuyo prouincias, ad Australem vero Condesuyo; inter Austrum vero & Ortum Callao regio sita est. Vna pars vrbis Hauan-Cusco, altera Oren-Cusco dicitur, vbi magnates & Nobiles domicilia sua habent. Ab alia parte mons est Carmenga nomine, in quo turriculæ quædam & in ijs solis cursus tabulis delineatus cernebatur. In meditullio vrbis ingens erat planities, vnde quatuor viæ latissimæ ad quatuor regni plagas ducebant. Nullibi toto orbe vna in vrbe maior auri vis fuisse creditur, vtpote capitis pœna in eos qui aliquid exportassent, à Regibus statuta. Templũ hic fuit Soli dicatũ, omniũ quæ vmquã fando audita sunt, totius orbis opulẽtissimũ, Curicanche patria lingua appellatũ: vbi etiã Põtifex maximus, Villaona dictus, sedem habebat. Pars vrbis à colonis

ſiue peregrinis eò aliunde adductis habitata fuit, incredibili politię ordine & diſciplina. Arcis ipſius ſiue palatij regij ſtructura quadratis conſtabat ſaxis, tanta magnitudine vt decem boum iuga vix vni trahendo ſufficiant: vt valde mirum ſit quomodo ſine vllis iumentis(quibus antehac omnino caruerunt)hominum manibus tanta moles congeri potuerit. Quamuis autem loco ſatis frigido vrbs hæc ſita ſit,tamen præter gratam cœli temperiem & ſalubritatem, vt magnitudine & ciuium numero, ita omnium quoque ad victum neceſſariarū rerum abundantia ceteras omnes ſuperat. Multas olim habuit in vicinis montibus auri fodinas, ſed magna ex parte tam deſertas, pleriſque Potoſium concurrentibus; quod & certius ſit ac maius ibi ex argento lucrum, & pericula ac labor multo minor. Non procul ab vrbe mons eſt,Guanacaure dictus,in quo Ingæ non feras tantum, ſed humanas quoque hoſtias immolare ſolebāt. Licet vero ex omnibus nationibus, Chile ſcilicet, Paſto, Cagnares, Bracamoros, Cachapoyas, Guancas, Charicas, Callao,&c. ciues Cuſconica in vrbe degerent;

Politia Cuſconica

omnes tamen velut in certas vrbis regiones diuiſi, patrios quiſque mores & cæremonias ſeruabant: illud tantum ab eis exigebatur, vt Solem pro ſummo Deo venerarētur. Frequentes hac in vrbe ſunt ſpecus ſubterranei,hariolorum & magnorum quondam latibula: in quibus hodieque multi theſauri inueniuntur. In vrbe magna gallinarum copia alitur, tam pingues ac ſapidæ, vt in ipſa Hiſpania vix meliores reperiantur. Circa vrbem paucæ ſunt arbo-

arbores, legumina tamen, vt pisa, ciceres, fabæ, phaseoli, &c. copiose proueniunt. Sed nec boues, capræ & alia pecora desunt. Quia vero hac in vrbe primarium fuit Solis templum, & Pontificis Maximi sedes: Peruanorum religionem, vt & Regum genealogiam paucis explicare operæ precium videtur: quamuis nō pauca supra quoque à nobis sint delibata.

CAPVT XXXIII.

De Peruanorum Religione.

PERVANI vnum quidem Cœli ac Terræ rerumque omnium Creatorem agnoscebant & venerabantur (quem Pachacamam dixerunt, & ridicula persuasione Solis & Lunæ filium finxerunt) Solem tamen pro summo Deo ac quasi Optimo Maximo habebant. Nec vero Solem tantum & Lunam, verum etiam arbores, saxa, aliasque res spiritu ac vita carentes, adorabant, quod malus ille dæmon ex ijs oracula ac responsa nonnumquam redderet. Quia vero omnibus literarum monumentis destituuntur, præteritorum fere carent memoria, præter ea quæ traditione à maioribus acceperunt. Aiunt vero à maioribus suis se accepisse: Olim insignem quendam virum quem Con nominant, è septentrionali plaga subito aduolasse: cuius corpus nullis articulorum aut ossium compagibus fuerit deuinctum. Eum nutu montes cōplananſſe, valles impleſſe, & per inuia viam

Peruanorum de Creatore Mundi opinio.

ſibi ſternendi miram facultatem habuiſſe : & ab eodem maiores ſuos creatos, eiſque herbas & fructus ſylueſtres in victum datos. A campeſtrium ſiue planitiei incolis eundem offenſum, regionem antea fertiliſſimam, perpetua ſterilitate damnaſſe, terra in arenarum cumulos conuerſa, ac cœlum, ne ſuper eos vmquam plueret, concluſiſſe : ad ferarum tamen magis quam hominum vſum fontium quorumdam & fluuiorum ſcaturigines aperuiſſe, vt ijs irrigatum ſolum homines illos magis in pœnam quam beneficium aleret. Hunc itidem ſtulta opinione pro Solis & Lunæ filio habitum, diuinis honoribus coluerunt, donec is de quo ſupra diximus, Pachacama aduenit, qui illo lõge potentior, homines à Cono creatos, in ſimias, cercopithecos, vrſos, Leones, pſittacos aliasque feras commutarit, & nouos homines crearit, vel potius maiores illos Peruanorum in vitam reuocarit, eamque qua nunc vtuntur, agri colendi rationem docuerit. Eam ob rem diuinis illum honoribus Peruani vſque ad Hiſpanorum aduentum coluerunt, templo eidem dicato, vt ſuperius diximus, à quo etiam tota illa regio denominata. Hominis effigie ſæpe reſponſa ab eo data ferunt, ſine dubio Satanæ miſeris hominibus ſic illudente: at poſt Chriſtianorum aduentum eà quidem forma numquam amplius cõparuit. Diluuij ſeu vniuerſalis illius cataclyſmatis notitiam aliquam habere videntur. Aiunt enim ingenti aquarum eluuione omne hominum genus perijſſe, paucis tantum exceptis, qui in celſiſſimorum montium ſpecus & cauernas ſeſe abdiderant, illato quantus ad lon-

gum

gum ſpacium temporis ſatis erat, comeatu. Ab ijs vtrum aquæ euanuiſſent, explorare cupientibus, duos canes emiſſos, quibus mox vuidis reuerſis, intellexerint, aquis achuc terram abſorptam teneri. Eoſdem ſecundùm, ſed lutulentos admodum reuerſos, iam dilapſas eſſe aquas fidem feciſſe. Sic igitur egreſſos, in magnum ſerpentum è cœno prognatorum numerum incidiſſe, quos ægre exſtirpare potuerint. En ſacræ hiſtoriæ quamuis tenuia lineamenta. Mundum quoque interiturum, Sole & Luna ablatis, credunt: eoque ſi quando vel ſolis vel lunæ eclipſim viderint, mœſtas canunt cantilenas ac complorationem edunt. Nec verò animarum tantum immortalitatem, ſed mortuorum etiam reſurrectionem crediderunt: Hiſpanos enim apertis ſepulcris aurum ſcrutantes multis precibus obſecrabant, ne defunctorum oſſa deijcerent, vt ne id fortè reſurrecturis moram aliquam aut impedimentum afferret.

Sepeliendi ratio apud Peruanos.

Ad ſepulcrales ritus quod attinet, Peruani, Reges & magnates magnifice ac ſumptuoſe ſepeliunt, vna cum omni quo in vita vſi ſunt ornatu. His comites addunt vnam & alteram ex vxoribus formoſiſſimas & defuncto cariſſimas (quæ honorem eum magnis ſtudijs ambiunt, adeo vt viuis adhuc regibus controuerſiam illam, quænam ſcilicet marito cariſſima fuerit, ac proinde comes ei ſit adiungenda, dirimi neceſſe ſit) itemque vnum & alterum è famulis, qui defuncto in altero illo mundo ſeruiant. Exſequiarum loco, amici potû quē Ci[illegible] appellant, defuncti ori iufundunt;

tum Maizium & omnis generis fructus apponunt, quo ijs cum comitibus, vescatur donec alterius Mundi fines attigerit. Impiam hanc superstitionem ex eo ortam quidam putant, quod sæpe defunctorum vxoribus & comitibus stipatorum imagines apparuerint, diaboli procul dubio, astutia, qui apud Orientales Indos vxoribus vt viuas se cum maritis cremari, apud Occidentales vero vt viuas sepeliri se paterentur, persuasit. Tantum in incredulos Sathanas potest. Epitaphij loco ad tumulum mortui collocant effigiem è ligno; plebeij etiam opificij quod in vita tractabant, aliquod signum, milites arma, &c. Numen ergo supremum Peruani Solem & Lunam, illum patrem hanc matrem humani generis atque vniuersæ Naturæ esse credunt, ac per vtrumque iurant. Etsi vero cum dæmonibus quoque occulta habebant colloquia; harioli præsertim, & ab ijs consilia petebant: id tamen non tam honoris quam metus caussa ab illis fiebat, ratis scilicet hac ratione sese malos illos genios placare posse, ne quid ipsis nocerent. Quanta vero in veneratione Solem habuerint, non solum ex incredibili templorum ei dicatorum tam multitudine quam opulentia, verum etiam ex Atabalipæ responso apparet: ad quem quum is de quo supra diximus, Vincentius à valle Viridi Dominicanus venisset monachus, ac multa de prima rerum creatione, de lapsu primorum parentum, & humani generis per Christi cucifixi mortem redemptione apud talium rerum imperitum disseruisset Atabalipa respondisse dicitur: Res omnes à suo Deo esse conditas, nec vllum esse

Impium Atabalipæ responsum

alium

alium huius Mundi opificem. Crederet ipse in talem Deum qui crucifigi & mori potuerit; sibi quidem statutũ esse vnius Solis, qui immortalis esset, numen venerari.

CAPVT XXXIV.

Ritus siue cærimoniæ quibus inter sacra Peruani vtebantur.

REGES Peruani aut sacerdotes à Sole precaturi aliquid, mane eò exoriente in excelsum pegma, eum in vsum è saxis fabricatum, ascendunt, & vbi aliquamdiu pronis capitibus & complicatis ac contritis inter se manibus steterint, subito expassas manus & brachia, tamquam Solem complexuri ad cœlos tollunt, atque ita preces aliquas demurmurant, quidnam petant disertis verbis exprimentes. Hoc ritu iam non tam solem quam Hispanos, à quibus dura seruitute premuntur, adorant, misericordiam eorum, sed frustra sæpe, implorantes. In templis omnibus Peruanorum duo stabant idola, nigrorum caprorum figura, ante quæ ligni quoddam genus, cedrinum fortasse, perpetuo ardet, è quo resina siue succus promanat, ad conseruanda corpora contra putrefactionem miræ virtutis. In ijsdem templis Serpentum figuræ cernuntur, quos itidem adorant. Quin & lapides Guacas ipsis dictos, pro numine adorant. Vulgus ab adytis templi arcent sacerdotes, niueis vestibus amicti, qui etiam peregrina lingua cum

Quibus ritibus Solem adorarint.

idolis colloquuntur, ne se à vulgo quid dicant intelligatur. In hostijs immolatis, veterum Romanorum more cor aliaque exta diligentissime scrutantur, exque ijs futura augurantur. Donaria sacerdotes partim in templis abscondunt, partim ad suum vsum sumunt. Iidem Guacas siue Deos suos consulturi, à mulierum consortio abstinent, ac totam noctem discurrentes, diabolum magna voce flagitant & inclamant. videre etiam fuit nonnullos qui oculos sibi ipsi effoderant, deuotionis scilicet ardore. Inter donaria etiam mitræ & peda Episcopalibus nostris similia plane reperta: quin etiam inter Guacas eadem figura idola conspecta sunt. Monasteria habebant in quibus centum aut ducentæ puellæ perpetuæ virginitatis voto obstrictæ degebant, quarum opus ea quæ ad idolorum ornatum faciebant, concinnare. Sed qui fusius hæc legere cupit, historias ipsas adeat: nobis hæc attigisse tantum, pro Compendij nostri modulo sufficiat.

HISTORIÆ OCCIDENTALIS INDIAE LIBER IV.

In quo animalia & plantæ rariores describuntur.

QVAMVIS supra hinc inde tam animalium quam herbarum & fructuum quorumdam, qui in Occidentali India reperiuntur mentionem fecerimus; quia tamen materia hæc cognitu admodum iucunda est, ex ijs quædam Cl. Viri Caroli Clusij lucubrationibus adiuti, paullo prolixius describemus. Ac primo de volucrum genere agere placet. De raro quodam ingentium vespertilionum genere, dictus Clusius sic scribit lib. v. Exot. cap. 1.

Tametsi quotquot conspexerim sint ingentes, alij tamen alios superabant magnitudine: etenim nonnullorum longitudo à capite ad crura vsque, decem vnciarum erat longitudinis, aliorum paullo minorum, aliquorum etiam maior: nam vnum redimebam pedalem longitudinem superantem. Corporis etiam crassitudo inæqualis; mei enim ambitus pedalem æquabat, imo superabat, aliorum minor erat, pro cuiusque corporis magnitu-

Vespertilione Indici.

dine respondens. Omnes densis & longiuscu-
lis pilis prædıti : color autem eorum diuersus;
nam quibusdam ex flavo cineraceus, aliorum
magis fuscus, nonnullorum spadiceus, mei
color à capite ad extremum rictum, siue na-
res, spadicei erat coloris, caput, collum, pe-
ctus, dorsumque ipsum cum ventre, fusci, cir-
ca latera vero, ex spadiceo flavescentis: pinnæ
membranaceæ; quæ illi pro alis ea patre quæ
corpori proxima, etiam pilis tectæ, sed rario-
ribus, earumque supina pars magis quam pro-
na: illæ porro sesquipedalis longitudinis in
quibusdam, & octo vnciarum latitudinis, in ali-
js vel breuiores & magis angustæ, in qui-
busdam etiam longiores & magis latæ: nam
mei singulæ pinnæ vnius & viginti vnciarum
longitudinem habebant, nouem latitudinem;
vel etiam maiorem, color earum ex fusco ci-
neraceus: summa singulorum pars, octo fere
vncijs à corpore, ossiculum binas vncias lon-
gum continebat, in acutum curuumque & fir-
mum unguem desinens, quo se ed arborum ra-
mis affigebat, totidem ab extrema pinna vn-
cijs alium minusculum vnguem & vix eminen-
tem: binæ illi in crasso capite aures, paruæ
pro capitis magnitudine, extima parte angustę
& in mucronem desinentes; in nonnullis, oris
rictus magis obtusior, ad felis rictus formam
quodammodo accedens; mei vero rictus magis
longus & angustus, vulpeculæ rictui propi-
or: dentes illi in superiore mandibula vtrim-
que seni, in inferiore, septeni, quorum anterio-
res ceteris longiores, omnes valde albi. In hoc
animali vterque sexus dignoscebatur: nam eo-

rum

rum aliquot,qui mihi conſpecti,ſatis longum exertumque penem habebant,qualis fere ſimiarum eſt,quo maſculinum genus à fœmineo diſtinguebatur:crura(ad quorum pæne extremum pinnæ porrectæ) binas vncias aut paullo amplius longa: pedes parui, ſemunciales, in quinque digitos, binis articulis conſtantes, diuiſi, quorum ſinguli in magnos, firmos,acutos curuoſque nigros vngues deſinebant,iis ſimiles qui in pinnis membranaceis, quibuſque ſeſe de arboribus ſuſpendunt.

Quem ego Amſtelredami, anno à Chriſto nato milleſimo ſexcenteſimo tertio, recenter aduectum redimebam,in inculta, à nullis hominibus habitata inſula captum aiebant, quemadmodum & omnes fere quos conſpiciebam.Eam autem inſulam ad primum & viceſimum gradum ab æquatore verſus Antarcticum ſitam eſſe exiſtimant,& triginta milliaria in ambitu continere, à Luſitanis quidem ante obſeruatam;& ab eis,Ilha do Cirne, ſiue Inſulam cygnæam,vt ante dixi, appellatam:à Batavis vero; qui anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo octauo nauigationem ad Iauam & Moluccas inſulas inſtituentes, tempeſtate in eam delati fuerant,& à xv.Kal. Octobris vſque ad VI.Nonarum eiuſdem, reficiendorum corporum cauſa iſtic hærebant, Mauritij Inſulam ab Illuſtriſſimo Principe Mauritio Comite à Naſſavv,&c. nominatam. In ea porro inſula multos ingentes veſpertiliones obſeruabant, partim inter ſe confligentes, partim vncis quos in membranaceis pinnis habent, ex arboribus pendentes. In multis tamen Orientalis

Inſula cygnæa

illus Oceani insulis, atque etiam in Guinea magnos reperiri constans fama est: an vero his sint similes, nemo, quod sciam, tradit. Lerius quidem cap. x Hist, Americanæ, Vespertiliones Brasilianos monedularum magnitudine esse ait, & Franciscus Gomara, cap LXI. Historiæ suæ Generalis, circa Vrabam, turturũ magnitudinem adquirere, neuter tamen formam describit: hoc solum addit Gomara, eos valde mordaces, noxiumque esse illorum morsum, cujus remedium, vulneris ex aqua marina ablutio, aut adustio. cap. autem LXXX ejusdem libri lepidam narrat historiolam. Accidit, inquit, ut in cœnobio, cui nomen Sanctæ fidei, in prouincia Chiribichi, Dominicanorum monachorum famulus pleuritide laboraret, & vena, quam ad leuandum morbum secarent, à medico siue cheirurgo minime deprehensa, æger desertus est, & de ejus salute desperatum: vespertilio nocte insequente ejus jacentis & decumbentis nudum pedem reperiens, circa malleolum momordit, & sanguine jam satur, vulnus apertum reliquit, ex quo tantum adhuc sanguinis profluxit, vt æger à morbo liberetur, non sine monachorum admiratione, qui pro miraculo illud venditare solebant.

Lepida historiola

De eodem, quo illi, genere, Oviedus cap. XXXVI. sui Summarii agere videtur, magnitudinẽ tamẽ nõ exprimit: sed Europæis similes esse ait, noctuque morsu appetere dormientium præsertim extremum nasum, vel capitis verticem, extremosque manuum & pedum articulos, tantumque saguinis elicere, vt vix quispiam credere possit, nisi qui viderit: illam

etiam

etiam peculiarem naturam habere, vt, si quem momorderint, sequente vel tertia nocte, illum ipsum sint denuo morsu appetituri, non alium, licet inter centenos alius commixtus iaceat. remedium ad versus huiusmodi morsicationes esse, vt feruentes cineres quantum tolerari possunt, supra vulnus imponantur: aut locus præmorsus aqua tam feruida, quam ferri possit abluatur. nam illico sanguinem sisti, & noxam tolli: quin & vulnus, quod exiguum est, statim curari, quia vespertilio non nisi exiguum vulnus rotundum, pauca carne sublata, infligere potest. Illud etiam testari possum, inquit, me, præmorsum aliquando, sola feruidæ aquæ lotione curatum.

Vespertiliones edules.

Scribit præterea idem Ouiedus alios vespertiliones in insula D. Ioannis valde pingues inueniri, quibus aquæ feruenti immersis & excoriatis, incolæ vescantur; nam passeribus non minus albos esse, nec minus, vt asserunt, boni saporis; à quorum etiam esu Christiani non abstineant, illi præsertim, qui gustare volunt quidquid ab alijs edi vident.

Bellonius similiter cap. XXXIX. lib. II. de Auibus, vespertiliones in Creta insula se obseruasse ait, nostris vulgaribus maiores, magnasque aures habentes, curuo vngue in singulis membranaceis pinnis, siue, vt ille appellat, alis præditos, quo se de saxis suspendunt: qua nota à nostratibus differre existimat: sed fallitur. nam nostri eos vngues etiam habent: Cretenses tamen non conferendos censeo cum ijs qui hoc loco sunt descripti.

Inter

Inter exotica animalia quæ ornatiſſimus vir Iacobus Plateau, in ſuo exſtructiſſimo muſeo habet, perpuſilla quædam auicula erat, quam Theueti Gonambuch eſſe arbitrabatur. Eam quum Prouincialis eorum qui in Braſilia viuentes, Patres è ſocietate Ieſu ſe profitentur, conſpiceret in vrbe Tornacenſi apud ipſum Iacobum, portentoſam illius originem præſentibus quibuſdam ex ea ſocietate enarrabat: Braſilienſes videlicet huic auiculæ nomen *Ouriſſia* impoſuiſſe, quod Latine redditum, Solis radium ſignificat: ex muſca procreari: & ſe conſpicatum partim muſcam, partim auem, teſtari poſſe: primum eius colorem eſſe nigrum, deinde cineraceum, poſtea roſeum, denique rubentem, poſtremo caput eius Solis radijs expoſitum, omnem colorem referre.

Eius hiſtoria. Erat porro hæc auicula, vt ex pictura obſeruabam, à roſtri mucrone ad pennarum caudæ extremitatem, tres vncias longa: caput videlicet cum integro roſtro vncialis cum ſemiſſe erant longitudinis; alæ ad extremam pæne caudam porrectæ, parem habebant longitudinem: dorſum vix vnciam latum erat: eius & alarum color ex cineraceo fuſcus, ventris cineraceus, pennæ quæ in cauda, obſcure rubeſcentes; earum extrema pars nigra: capitis, colli, gutturis plumæ elegantiſſimi coloris ex aureo, rubro, & flauo mixti, quæ Soli expoſitæ, admirabilem varietatem, prout obuertebant caput, oſtendebant: roſtellum nigrum tenuiſſimum & maxime acutum: pedes valde exiles, nigri, quatuor digitis, vt reliquarum

rum auicularum, præditi; quorum tres in anteriorem partem porrecti, quartus in posteriorem.

Cl. V. Doctor Euerardus Vorstius Medicinæ Professor in Academia Lugdunensi apud Batauos, similem auiculam in Italia apud Antonium Gigantem Foro-Semproniensem, Cardinali Palæoto à secretis, se vidisse mihi affirmabat, quam ille Cinconi nominabat, & è Mexico allatam dicebat.

Ceterum, eius auiculæ, aut certe illi persimilis, mentionem facere videntur, quotquot de Americanis Prouincijs aliquid prodiderunt; varia tamen nomina, pro regionum, in quibus reperitur, diuersitate, illi tribuentes.

Passer mosquitus

Nam Consaluus Ferdinandus Ouiedus cap. XLVIII. sui Summarij, passerem Mosquitum appellat. reperiuntur, inquit, quædam auiculæ adeo exiguæ, vt extremi pollicis articuli magnitudinem non æquent, &, pennis euulsis, eius dimidiam partem vix excedant. Huius auiculæ volatus adeo præpes & celer est, vt alarum motus non magis conspici queat, quam crabronis, neque quispiam præteruolantem videt, quin crabronem esse existimet. Illarum nidi, auicularum magnitudini respondent: ego huiusmodi auiculam conspiciebam, quæ in monetaria trutina, qua aurum appendi solet, cum suo nido posita, bina pondera Hispanis tominos dicta, dumtaxat penderet, hoc est, grana viginti quatuor; cui si pennæ euulsæ fuissent, minus grauis haut dubie futura erat: pedum & vnguium exilitate cum illarum auicularum pictura, quæ ornatus gratia, in librorum

rum marginibus interdum adiici solet, comparari poterat: eius plumæ elegantibus coloribus præditæ, aureo, viridi, & alterius generis: rostrum habebat pro corporis proportione, illudque adeo tenue, vt acus quâ vestes sarciuntur, magis exilis esse nequeat.. Nidum è xyli quod istic abunde crescit, flocco construit.

Meminit etiam cap. IV. lib, Hist. General. & Natural. eique nigertimum colorem tribuit: quod de dorsi, & alarum pennis intelligendum arbitror, alioqui sibi ipsi contrarius esse videretur, nisi forte ejus diuersæ species reperiantur.

Viciclin. Franciscus autem Lopez de Gomara, in Historia quam de Mexicanæ urbis expugnatione scripsit, *Vicicilin* eam auiculam nominate videtur. Maxime, inquit, admirabilis est in Noua Hispania auicula incolis dicta Vicicilin, corpore non majore quam crabronis, oblongo & gracili rostro: melle, rore, & florum succo alitur, rosæ tamen non insidet: ejus pennæ valde exiles, elegantis mixti coloris, à phrygionibus admodum expetiti, vt aureis staminibus intertexant, præsertim illæ quæ in collo & pectore natæ. Expirare, siue obdormiscere creditur Octobri mense, pedibus ex aliquo ramo appensa aprico loco: renasci autem siue expergisci Aprili, multis floribus jam vigentibus: propterea Renatus vocatur. Meminit etiam cap. CXCIV. Hist. Gener. Indiarum his verbis. Istic reperitur admirabilis auicula cicadæ magnitudine, elegantissimis pennis versicoloribus tecta.

Augustinus item Carate illius mentionem facere

facere videtur capit. VIII. libr. I. Histor. Peruanæ. In montibus Peruanis, inquit, inueniuntur auiculæ adeo exiguæ, vt cicadâ sint minores, oblongis pennis versicoloribus prædita.

Iosephus à Costa similiter cap. XXXVII. lib. IV. Hist. Natural. & Moral. Indiæ Occidentalis, Tominejo auiculæ meminit istis verbis: Reperiuntur in Peru auiculæ ab incolis Tominejos appellatæ, adeo exiguæ, vt illas prætervolantes conspiciens, crabronesne essent, aut cicadæ, sæpe dubitarem: veræ tamen erant auiculæ.

An vero huic auiculæ nomen impositum, Tominejo, quod adeo leuis sit, vt vnum dumtaxat tomino, hoc est, duodecim grana pendat?

Nullus porro istorum, quos commemoraui, Auctorum, hujus auiculæ cantus suauis & sonori mentionem facit, quod mirum. Soli duo Galli, qui in Brasilia apud Toupinimbautios vixerunt, cantum illi tribuunt, Andreas videlicit Theuetus, & Ioannes Lerius; vterque eam Gouambuch vel Gonambuch apellat, vt alter ab altero desumpsisse videatur.

Gonambuch.

Theuetus quidem cap. XLVIII. Singularium Franciæ Antarcticæ, sic scribit. Prætermittere nequeo aliam avem Gonambuch appellatam, scarabeo Lucano aut grandi musca non majorem, quæ, licet omninm avium, ut arbitror, minima, tam elegans tamen est, vt fidem superet: ejus rostrum oblongiusculum, & valde tenue; color cineraceus, & tametsi adeo exigua, ejus cantus admodum suauis est.

Lerius autem cap. XI. Historiæ Americanæ his Verbis. Sed pro singulari miraculo, prætermittenda non est ob insignem exiguitatem, auicula pennis exalbidis & splendentibus prædita, quam Brasilienses *Gonambuch* appellant: nam licet crabrone aut scarabeo Lucano maior non sit, valde tamen canora est, & magna ex parte præalto illi milio Anati ab incolis dicto (mayzum intelligit) aut aliis plantis similis magnitudinis insidens, adeo est in cantu assidua, vt nemo qui non audiret & conspiceret, ex tantillo corpusculo tam suauem & sublimem cantum prodire posse sibi persuaderet, sic vt nostræ lusciniæ cantui non cedat.

Peregrina etiam auis est inquit Clusius quã ex America allatam scribit ornatissimus vir Iacobus Plateau, qui eius picturam coloribus expressam ad me mittebat, & inter mergos reponendam censebat, ex nautarum à quibus acceperat relatu.

Ceterum aliam eius Historiam proferre nequeo, præter eam quam ex sola pictura concinnare potui; quemadmodum nec aliquot aliarum, quarum pictura dumtaxat mihi conspecta: idcirco beneuolum lectorem boni consulturum confido quæ in medium adferam.

Auem hanc autem ansere paullo minorem, aut fero anseri magnitudine æqualem esse intelligebam, longo quidem corpore præditam, sed paruis & breuibus alis corporis magnitudini non respondentibus, eam ob causam non valde, vt arbitror, aptis ad volatum: caput, collum, dorsum, nigris pennis tecta fuisse ex pictura conijciebam; pennas etiam in cauda & alijs,

& alis, nigras; in pectore autem totoque ventre, albas: rostrum aquilinum & satis crassum, non planum, in quo nulla dentium vestigia expressa apparerent: eius autem partem pronam obliquas quasdam strias habuisse, pictura fidem faciebat, & anteriorem capitis paullo supra rostrum partem, alba macula insignitam, si pictor quidem legitime illam expresserat: breuia nigraque eius fuisse crura, pedes etiam nigros & planos palmipedum instar, tribus digitis præditos & breui calcari, vt anates.

Psittaci. Iam Psittacorum in Nouo hoc Orbe varia sunt genera, magnitudine & colorum varietate valde differentium: de quibus multi scripserunt. Quæ vero rariora in ijs animaduersa, Cl. V. Carolus Clusius in Exoticis suis vnum in caput collegit, quod adscribo.

Inter Neotericos ait, nemo mea opinione diligentius & exactius de hoc Auium genere commentatus est C. V. Vlysse Aldrouando Bononiensi, qui Librum XL. Tomi Primi Ornithologiæ ei dicauit. Ille enim philosophica methodo tradidit quidquid ad Psittacorum historiam pertinere potest, & quatuordecim diuersas eorum species describit, tredecim vero icones exhibet quarum duæ priores maximæ sunt; & coruum magnitudine superant; tertia & quarta columbæ sunt magnitudine; quinta, sexta, septima, octaua, nona, & decima mediocris sunt magnitudinis, caudamque breuem habent, saltem non adeo longam vt tres subsequentes quæ lõgiore cauda sunt præditæ: decima quarta breuem etiam habet caudam.

Priorem illam elegantem eius speciem quæ

 pecto-

pectoris & ventris pennas flauas habet, eas vero quæ alas dorſumque tegunt, tum etiam eas quæ in cauda cæruleas, non ſemel videre memini, & iconem habeo viuis coloribus expreſſam; atque illam ipſam eſſe arbitror, quam Ioannes Lerius cap. XI. Hiſtoriæ ſuæ Americanæ Canide â Braſilianis appellari ſcribit. Alteram ſpeciem etiam videre memini in arce Cæſaris Eberſtorfiana ad Danubium ſita infra Viennam, tum etiam Lugduni Batauorum apud Sionem Lucium Daniſtam, binas aues eius generis, quas poſtea magno Duci Moſcouitarum dono mittebat. Reliquæ vero ſpecies (præter tertiam, quæ illi alba criſtata eſt, & decimam quartam, quæ erythrochloros etiamque criſtata) mihi etiam conſpectæ, tum pleræque aliæ ab ipſo non deſcriptæ, tam breuiore cauda præditæ, & maiuſcula corporis mole, quam minoris generis, quæ longiores caudæ pennas habent, & collum veluti torque rubro aut atro ornatum, humana verba exacte exprimere ſolitæ; quibus ſimilem vnam habuit Nobiliſſimus vir Philippus Marnixius Sanct-Aldegondius, quam ſæpe cachinnum humano more ſuſtollere audiui, quum ab adſtantibus Gallico ſermone compellaretur hoc modo, Riez perroquet, riez, id eſt, *Ride pſittace, ride*; ſed quod magis mirum, Gallico etiam ſermone ſubijciebat illico, tamquam ratione prædita, haud dubie tamen ita edocta. Ole grand ſot qui me faict rire, hoc eſt, o magnum fatuum qui me ad ridendum prouocat; illaque verba iterum & tertio repetere ſolebat.

Canide.

Sed inter reliquas vnam Pſittacis primæ

ſpeciei

ſpeciei magnitudine æqualem apud Illuſtriſſimam Dominam Mariam de Brimen, Ducem Croyam & Areſchotenſem feliciſſimæ memoriæ, prius quam ex Hollandia excederet, cui ſane parem in pennarum coloris varietate & elegantia videre non memini: etenim licet omnes fere pennæ corpus tegentes rubro colore eſſent infectæ, caudæ tamen pennæ, quæ valde prolixæ, partim rubræ erant, partim cœruleæ; atque in dorſo & alis, verſicolores ex flauo, rubro, & viridi, quibus cæruleus color etiam commixtus: caput circum oculos albi coloris erat, ſinuoſiſque lineis nigris, quemadmodum Canide caput, diſtinctum erat: pſittacum, qui ſimilis eſſet coloris, apud nullum Auctorem deſcriptum memini. Ea porro auis Annam ab Hilla Illuſtriſſimæ Ducis neptem, nunc Comitem Megenſem & Dominam de Groesbeke adeo diligebat, vt quocumque per conclaue expatiaretur, illam ſubſequeretur, nec quenquam veſtem eius attingere conſpiceret, quin morſu illum appeteret, ita zelotypia quadam laborare videbatur.

Ceterum Pſittacus ille maioris generis quem Lerius capite ſupra memorato à Braſilianis Arat vocari ſcribit, valde elegans etiam eſſe debet: nam alarum remiges pennas, & caudæ quæ ſeſquipedalis longitudinis, media ex parte coccinei coloris eſſe refert, altera prorſus elegantis cyanei, tubo ſeu neruo qui medias pennas per longitudinem ſecat, diuerſos illos colores diſtinguente, reliquas vero totius corporis pennas prorſus cæruleo colore tinctas eſſe. Addit vtrumq; genus illud maiorũ

Arat.

Psittacorum, Arat videlicet & Canide, magna esse in existimatione apud Brasilianos, quia illorum pennas ter aut quater in anno vellunt, ad vestes, pileos, clipeos, & aulæa conficienda, tametsi domesticum nõ sit, quia tamen in vastis arboribus medios vicos occupantibus frequentius versari solet quam in siluis.

Præter binos illos ingentes, idem Lerius tria aut quatuor Psittacorum genera apud Brasilianos inueniri ait.

Aiourus. Primum videlicet etiam maiusculorum & crassiore corporis mole præditorum, cui Aiourous nomen indunt Brasiliani Tououpinamboutij, caput ornatum habens pennis versicoloribus flauo, rubro & violaceo, extremis alis suauerubentibus, & caudæ pennis oblongis & flauis, reliquo corpore prorsus viridi: hoc genus rarissime ad exteros transferri, nullum tamen facilius & perfectius edoceri ad humana verba pronuncianda, quam istud. Addit etiam Brasilianam quamdam mulierem in pago binis milliaribus ab insula in qua ipse cum alijs Gallis habitabat distante, similem Psittacum in delicijs habuisse, qui eo intellectu & ratione præditus videbatur, vt comprehendere & discernere posset, quidquid ipsa diceret quæ illum educauerat. Nam quum, inquit, animi recreandi gratia in illum pagum profecti, ante illius mulieris ædes interdum transiremus, compellare nos ipsa solebat his verbis, Vultis mihi pectinem dare, aut speculum, & illico efficiam vt meus psittacus coram vobis cantet & saltet. si eius petitioni annuebamus, simulac quædam verba aui pronuntiaverat, psittacus non modo

in pertica, cui insidebat, saltare incipiebat, sed etiam garrire, sibilos edere, & Brasilianorum ad pugnam sese parantium vociferationes imitari: breuiter, quando eius herae in mentem veniebat vt diceret, Cane, canebat; Salta, saltabat. Sin vero aegre ferens, se quod petierat, non impetrasse paullo acerbius aui diceret, Auge, hoc est, sile; immobilis silebat, nec vlla ratione eum ad linguam aut pedes mouendum excitare poteramus.

Secundum genus Marganas à Brasilianis appellatur, quale est eorum Psittacorum, qui in Europam inferri solent, nec magni apud illos pretij, propter abundantiam: non minus enim istic frequentes sunt, quam apud nos columbae. *Marganas*

Psittaci tertij generis, ab ipsis Touis appellati, maiores non sunt sturno, & vniuersum corpus tectum habent pennis impense virentibus; caudae vero pennę, quae valde longę, flauum colorem admixtum habent. *Touis.*

Illud etiam addebat se obseruasse, Psittacos illius regionis nidos ex arborum ramis propendentes non construere, vt topographicis suis tabellis quidam persuadere conantur; at in arborum cauis, eosque orbiculari forma, satisq; duros & firmos.

Ceterum quum sub extremum annum Christi millesimum quingentesimum sexagesimum quartum essem Vlyssippone apud Sebaldum Linsium Germanum Vlmensem, memini filium ipsius Rodericum, ex Fernambuco Brasilianorum, vbi commorabatur, eo appellere, & nauem mercibus onustam aduehere,

here, in qua etiam aliquot mancipia, & nonnulli psittaci quartæ speciei ab Aldrouando descriptæ, atque alij etiam minores sturni magnitudinem non excedentes, prorsus viridis coloris pennis tecti, sed omnes breui cauda prędici & albo rostro; idque genus frugibus valde noxium referebat: eos in itinere Mayzi granis aluerat, cuius multas spicas eum adhuc habere obseruabam.

In secunda nauigatione quam Batavi in Indiam Orientalem instituebant, in Iaua vicinisque quibusdam insulis Psittacos obseruabant longe illis elegantiores quos è Brasilia aduehere solent; eosque à Lusitanis qui in Iaua & Moluccis versabantur, *Noyras* appellari intelligebant, & illos quidem corporis mole non valde magnos, sed adeo elegantis coloris vt venustiores dnpingi non posse existimarent: pectus enim & ventrem pennæ rubri coloris floridi splendentisque tegebant, dorsum aurei coloris pennæ, alas vero viridis & cærulei commixtorum colorum pennæ ornabant, sub alis suaue rubens color splendebat. Valde autem ingens erat istic illarum auium precium, vt non minoris æstimarentnr, quam octo aut decem dalleris Germanicis. Linscotius scribit, Lusitanos sæpius periculum fecisse, an Vlysiponem tranferre viuum aliquem possent; sed numquam voti compotes factos fuisse, quod nimis tenelli & delicatuli sint: Batavi tamen eam industriam adhibuerunt, vt vnum viuum Amsteldamum vsque retulerint, qui tametsi non esset è selectissimis, centum tamen & septuaginta florenis eius Prouinciæ,

Noyras.

hoc

hoc est, paullo pluris quam septuaginta dalleris venundari potuit, quemadmodum in Diario illius Nauigationis annotatum comperio. Is in itinere pleraque verba Hollandica, quæ à nautis audiuerat, pronunciare didicerat, adeoque cicurem ipsum eius herus reddiderat, vt rostrum in os & aures eius insereret sine noxa, pilosque barbæ ipsius componeret: at si quis alius manum admouere vellet, illico morsu eam appetebat, haud secus quam canis quilpiam.

Anno porro Christi quinto supra mellesimũ & sexcentesimum, mittebat mihi Iacobus Plateau sæpius memoratus Psittaci cuiusdam iconem viuis coloribus expressam, cui quum similem hactenus non viderim, neque apud quempiam descriptum meminerim, in hoc Auctario ad Exoticorum Historiam typis iam expressam adiunctam volui.

Eum autem se plus quam biennio aluisse scribebat, columbæque esse magnitudine; caput illum habere pæne instar Accipitris, eiuscemodi nempe coloris pennis tectum, ardentes oculos: collum & pectus versicolores pennæ obsidebant, quas quum irascebatur, aut molestiam aliquis ipsi crearet, admoto ad caueam qua conclusus erat, aliquo animali, surrigebat, vt cristatus quodammodo videretur: erant autem illæ rubescentis coloris, & extima parte cærulei elegantissimi: ventris pennæ similis fere erant coloris, fusco tamen insuper suffusæ colore; dorsi pennæ virides, & alarum remiges pennæ subcæruleæ: cauda frequentibus pennis viridibus sed non longis constabat.

Illum Psittacum nunc habet Illustrissimus Princeps Carolus Dux Croyus & Areschotensis, ab ipso Iacobo Plateau redemptum cum toto ipsius rerum Exoticarum thesauro, qui instructissimus esse solebat. Sed & alios duodecim aut plures psittacos diuersi generis habere illum Principem intelligo, quorum plerique viui, & eorum nonnulli perfecte humana verba exprimere, alij saltare norunt.

Certe de Psittacis quidpiam commentari non statueram, quandoquidem exactissime C. V. Vlysses Aldrouandus, vt dixi, de ijs tradiderit, & ante ipsum C. V. Conradus Gesnerus etiam de illis egerit: sed quum hanc iconem à Iacobo accepissem, tacere non potui, quin eius aliquam mentionem facerem, & aliorum similiter Psittacorum quos mihi diuerso tempore & varijs in locis videre contigit. Propter eandem causam prætermittere nequiui Psittaci pusillum genus quod ex AEthiopia locisque Manicongo vicinis, proximis his annis à Batauis naucleris relatũ est; & maris desciptionẽ, quia femina multo elegãtior (vtriusque enim sexus allatus) lectori proponerem.

Psittaci minimus.

Corpusculi moles Fringillæ magnitudinem æquabat, hoc est, duarum vnciarũ cum semisse longitudinem habebat ab infimo collo ad ouropygium vsque: omnes pennulæ corpusculum tegentes, viridis erant coloris, sed in quibus manifestum apparebat discrimen: nam quæ in dorso, saturatiores erant; quæ in ventre, dilutiores: remiges alarum pennæ trium vnciarum longitudinem habebant, & tametsi prona parte eo videlicet latere quo breuioribus villis e-

rant

rant præditæ, quoque ſeſe in vicem tegebant, viridi ſaturo colore eſſent tinctæ, altero tamē, quod longiores villos habebat, & tota ſupina parte, fuſci erant coloris. caudæ pennæ elegantiſſimæ erant, & pæne binas vncias longæ, paullo minus ſemuncia latæ, colore ea parte qua ouropygio infixæ viridi cum flauo permixto tinctæ, deinde rubro eleganti, demum nigro, poſtremo viridi: & tres iſti poſtremi colores ab inuicem diſtincti, veluti in quorumdam pſittacorum viridium maiore corporis mole præditorum caudæ pennis videre eſt; iſtæ autem vix conſpiciebantur, niſi quum caudam explicaret, quia ab alijs eiuſdem longitudinis tegebantur, quæ prorſus virides: collum breue, & craſſinſculum; plumulæ caput tegentes breues admodum & virides, præter eas quæ verticem ſupra roſtrum, quæque totum guttur tegebant. nam illæ rubrum elegantem & floridum colorem habebant; de mare loquor, quia feminæ pennulæ dilutius rubebant, neque tam amplum ſpatium occupabant quam in mare: oculi erant nigerrimi; roſtrum craſſum & firmum, ſuperna pars adunca & mucronata, vt in reliquis pſittacorum generibus; eius color ſubrubens: crura breuia ſemunciæ longitudinem vix æquabant, cineraceique coloris ſquamis erant tecta, vt aliorum vulgarium pſittacorum pedes, ijque in quatuor digitos diuiſi, quorum bini anteriores & imparis longitudinis, bini poſteriores & illi etiam impares breuiores quidem duobus articulis præditi, hi intern; longiores autem tribus, & hi externi: vngues albi & ſatis longi. Valde exilem habere vocem, & dumta-

at pipire obseruabam: gaudet consortio. Quum edebat, altero pede cibum non tenebat, vt alij psittaci, sed rostro carptim cibum corripiebat, cibus autem magna ex parte, phalaridis semen illo enim libentius vesci obseruabam quam vllo alio seminis genere: mihi tamen quidam cōspecti sunt ita edocti, vt panem aqua tinctum carptim morsicando ederent: potus est aqua. Illud præterea in hac auicula animaduertebam, quod femellæ senescentes, vix edere volebant, nisi cibum iam à mare captum & aliquamdiu in prolobo retentum, & quasi coctum suo rostro deinde exciperent, vt columbarum pulli à matre ali solent.

EXPLICATIS aliquot auium generibus, ad quadrupedia iam accedimus. Ac primum ad Simias & Cercopithecos.

Aristoteles Historiæ Animalium lib. II. cap. VIII. varias Simiarum differentias facit, easque πιθήκου καὶ κυνοκεφάλου nominibus distinguit. Eiusdem autem libri cap. XI. χοιροπιθήκου (Gaza porcariam appellat) meminit, cuius rostro Chamæleonis rostrum simillimum facit. AElianus etiam diuersis Historiæ Animalium libris, varia earum genera enumerat: & certe ex Asia Africà, atque America insignes earum differentias quotidie adferri videmus. Ceterum tametsi plurimas viderim, & diuersæ magnitudinis, & diuersæ etiam formæ, nullam tamen mihi conspectam puto illi similem, qualis erat, cuius iconem ad me mittebat anno Christi millesimo sexcentesimo quinto Iacobus Plateau, diligentissimus Naturalium rerum obseruator, scribens ipsum animal dono datum

fuisse

fuisse Illustrissimo Principi Carolo Duci Croyo & Areschotensi.

De Animalis magnitudine nihil pronunciare possum, quandoquidem ab eo qui mittebat, nihil nisi iconem accipiebam, nullis adscriptis notis è quibus de eius magnitudine quidpiam conijcere possem, atque ipsa icon à rudi nec admodum perito pictore videbatur expressa: eam ob causam meus pictor, cui delineandam in lignea tabella tradebam, paullo concinniorem illam reddebat. Totum vero corpus à capitis vertice ad femora pæne vsque, longis villis erat obsitum cineracei coloris: posticam corporis partem cum cruribus eiusdem coloris villis sed breuibus tectam habebat, imo ipsam etiam caudam, quæ breuior erat quam cercopithecorum aliorum esse solet: rostrum longũ, nudum, extima parte obtusum, canini fere rostri instar, & rictum satis amplum: nares habebat glabras & prorsus depiles, sanguineoq; colore infectas, tamquam cutis detracta fuisset: pedes in quinque digitos fissos, & curuis vnguibus armatos: breuiter peregrina erat totius animalis forma: in tabellis tamen in æs incisis quas Adrianus Collardus de quadrupedibus animalibus publicabat, similem fere iconem conspicere memini, hoc est quæ caninum rostrum glabrasque nates haberet, sed corpus breuioribus pilis tectum, & caudam prolixiorem. Χοιροπιθήκοισ ne adnumerem hoc animal, an κυνοκεφάλȣ classi adscribam, sum dubius. rostri tamen forma facit, vt potius genus esse opiner κυνοκεφάλȣ: Lector tamen vtri volet classi adscribere poterit.

Ceterum

Ceterum quoniam de Simijs agere cœpi, non incommode me facturum existimaui si de alijs quibusdam generibus, præsertim cercopithecorum, agerem, quorum apud Latinos Auctores nullam mentionem factam inuenio. Initium autem faciam à beo genere quod barbam satis prolixam gerit & cuius iconem habeo coloribus expressam, quam etiam in tabella delineandam à perito pictore curabam, & porro sculpendam.

Cercopithecus barbatus. Magnitudine autem vulgares cercopithecos, eos videlicet qui maiore sunt corporis mole, æquabat: caput, dorsum, crurum postica pars, vt & cauda nigris villis erant tecta, quibus fuscus color admixtus: pectus, venter, crurum pars anterior longioribus villis, ijsque albis erant obsita: è mento propendebat dodrantalis longitudinis barba in mucronem desinens, alba siue incana: aures non magnas habebat, simisq; erat naribus, vt maior pars eiusmodi animalium: cauda valde longa erat & satis crassa; cuius extrema pars in longiorum villorum floccum desinebat, perinde ac leonis cauda; quam notã in nullo cercopitheco obseruaui, quam vnico alio, de quo postea: pedes in quinque longiores digitos fissi, anteriores præsertim, quibus tamquam manibus vtitur, vngues fere humanis similes.

Verumenim vero istius generis longe elegantiorem & magis politum videre memini Hagæ proximis his annis apud nobilissimum Virum Paullum Choartum Buzenualium, Christianissimi Regis Galliarum Henrici Quarti apud Illustrissimos Ordines confœderatarum

ratarum Prouinciarum Legatum: nam valde tersis & nitidis pilis totum eius corpus erat tectum, illisque multo breuioribus quam cuius picturam habeo: pectus etiam album habebat & anteriorem ventris partem: cana etiam barba mentum eius ornabat, minus tamen prolixa quam superioris, & palmaris dumtaxat longitudinis, eaque mucronata: huius cauda in floccum non desinebat, vt superioris, sed similis erat formæ cum vulgarium cercopithecorum caudis.

Eorum porro qui non sunt barbati binas habebam icones inter se dissimiles. quarum prior exprimebat animal tectum pilis mediocris longitudinis & fusci ex flauo coloris, quemadmodum etiam totum caput præter rostrum: guttur albicantibus villis erat obsitum, veluti & totum pectus: anteriores pedes, manibus humanis fere similes, in quinque digitos erant diuisi, similiter & posteriores: caudam habebat non valde hirsutam, sed læuem quodammodo, tamquam vulsi fuissent pili: extrema autem eius pars in longiorum villorum floccum desinebat, veluti prioris barbati cauda.

Alter maiore corporis mole præditus fuisse videbatur, rostrumq; prorsus fuscum habuisse, caput canescentibus villis tectum & collum cum pectore longis villis leoninæ iubę instar etiam canescentibus obsitum; alioqui forma superiori non erat valde dissimilis. Huic fere parem tabellæ illæ Adriani Collardi æs incisæ expressum etiam habebant.

Dum Vlysipone hærebam, ex Fernanbuco siue

ſiue Pernambuco Braſilianorum memini ad-uectos fuiſſe ſub Decembris initium anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto cum Pſittacis illis, de quibus ſupra dictum eſt, Cercopithecos quoſdam non magna corporis mole præditos, ſed minore quam ſupra enumerati, eóſq; ſatis prolixis villis tectos, gilui coloris, quibus ſimiles poſtea mihi non ſunt conſpecti: habebant illi peculiarem quandam notam, quam in nullo alio iſtius generis animali obſeruaui. nam ſuauem quendam moſchi qnodãmmodo inſtar, ſpirabant odorẽ: & Rodericus Lincius, qui eos aduexerat, mihi affirmabat omnes iſtius generis ſimilem odorem exſpirare.

Ceterum Ioannes Lerius cap. X. Hiſtoriæ ſuæ Americanæ alterius cuiuſdam generis meminit, quod apud Braſilianos Tououpinambautios eſt frequentiſſimum, & ab ipſis Cay appellatur, puſillum etiam, ſed nigri coloris, quod maxima ex parte in ſiluis verſatur, & potiſſimum peculiaribus quibuſdam arboribus inſidere ſolet, ferentibus ſiliquas perinde craſſas vt noſtræ maiores fabæ, quarum fructu veſcuntur

Meminit & alterius puſilli generis non maioris Sciuro, & aiuſdem fere coloris, rufi videlicet, cui Braſiliani Sagouin nomen indunt: habereque ſcribit formam (quantum quidem ad collum, roſtrum, anterioremque adeo corporis partem attinet) leoninæ ſimilem: magno haud dubie æſtimandum, ſi in Europam tranſuehi poſſet, ſed adeo delicatulum eſſe, vt nauis in mari agitationem nullo modo ferre

queat,

queat, prǽterea adeo ſuperbum, vt ob leuiſſimam occaſionem, inedia potius & cibi abſtinentia vitam finire cupiat, quam minimam moleſtiam perferre.

Huic forma non abſimilem aduehebat etiam cum Pſittacis, & odorato illo Cercopithecorum genere Rodericus Linſius, ſed vnicum, reliquis eius generis in itinere mortuis: quia toto trimeſtri tempeſtatibus iactatus in itinere hæſerat: longe vero elegantioris erat coloris, quam is qui à Lerio deſcribitur. Illius igitur formam quum memoriæ impreſſam adhuc retineam, & eius natiuam iconem coloribus expreſſam poſtea nactus fuerim, facere non potui, quin deſcriptionem hic ſubijcerem & Lectori communicarem.

Erat autem, quem videbam Sciuro minor, & adeo delicatulus, vt molli villoſaque pelle fouendus eſſet ob aeris frigidioris aſperitatem: roſtrum & capitis pars anterior leoninam quodammodo formam referebant, fuſcoque colore cui rubedo quædam permixta, erant prædita: aures albicantibus villis erant hirſutæ, quibus ruber color etiam admixtus: guttur & pectus longioribus villis partim fuſcis, partim albis tecta habebat: reliqui pili per corpus ſparſi nigri & albi, radiatim à dorſo ad ventrem alternis erant diſpoſiti: cauda etiam, quæ longa erat, ſimilis coloris pilis alternatim erat tecta: venter nigris pilis tectus: crura breuiores albi pili quadam rubedine infecti tegebant: pedes in quinq; digitos non valde lõgos

gos fissi, albis vnguibus erant præditi : breuiter elegantiorem videre non memini. Viuus adhuc erat, cum insequente Ianuario Vlysipone, Hispalim profecturus, discederem : an porro in Germaniam, quo destinarant, missus sit, nihil intellexi.

Ceterum consulendam censeo C.V. Conradi Gesneri Historiam de Quadrupedibus animalibus, in qua Simiarũ differentias peculiari libro complexus est.

A collo ad extremam dorsi partem, paullo plus quàm quatuordecim vncias longum erat eius corpus, crassitudo vero siue ambitus pæne totidem continebat: in viuo autem animali lõgè maiorem fuisse, non est dubium: collum ipsum sex vncias longũ erat, & quatuor crassum, comprehensis etiam ipsis villis: anteriora crura ad pedum (quos planos habebat instar vrsorum aut simiarum) vsque flexuram, septem vnciarum longitudinem superabant : posteriora autem, sex cum semisse dumtaxat longa, vt anterioribus fere integra vncia essent breuiora: anteriores pedes à flexura ad vngues vsque, tres vncias erant longi; posteriores autem eiusdem pæne longitudinis, vtrique tamen valde angusti, licet plani, vt mirum videri non debeat, si cum difficultate subsistere & progredi queat: singuli vero tribus contiguis vnguibus binas vncias cum semisse longis, albis, & valde mucronatis præditi, prona quidem parte arcus instar elatis, supina autem siue inferna carinatis: vniuersum corpus à summo capite ad vngues vsque, densissimis iisque prolixis villis erat obsitum, coloris partim nigri, partim ci-

neracei,

neracei, pæne vt meles, quem vulgus taſſum ſiue taxum appellat, mollioribus tamen, atque à collo, ſecundum dorſi longitudinem vſque ad poſteriora fere crura, nigrorum pilorum quadam ſerie erat inſignitum: totum collum à ceruice ad anteriora vſque crura veluti iuba quadam nigrorum crinium in vtrumque latus propendentium tectum habebat: caput exiguum, breuibus pilis ſubrufis obſitum, cum mento & gutturis parte: roſtro ſimiam quodammodo referebat; breue enim, glabrum, & obtuſum, ſimiſque naribus erat præditum, exiguis etiam dentibus, ſatis tamen latis: quia vero rictum amplum non habeat, hoc animal vix mordere poſſe, mihi perſuadeo.

Armadillo ſiue Tatou animal.

In Braſilia animalis genus eſt, quod Hiſpani ab armis quibus tectum eſt, Armadillo appellant, Gallis vero voce Braſiliana Tatou dicitur. & eorum quidem diuerſa ſunt genera. Vnum quidem valde magnum: aliud huic fere ſimile, ſed minus: tertium ab illis forma diuerſum quę talis eſt. Habet id animal pedis vnius & quatuor vnciarum longitudinem: ejus tegmen durum & teſtaceum, fuliginoſi coloris, quem forte vetuſtate & manuum tractatione contraxerat, quodammodo teſſellatum, à collo ad medium corpus quaſi orbiculatæ figuræ teſſellis varie pictis diſtinctum, medio autem corpore, ternis ordinibus quadrangularum teſſellarum varie etiam pictarum inſignitum, poſtrema tegminis pars ſimilibus orbibus diſtincta erat, qualibus pars anterior: totum etiam caput ad nares vſque ſimilibus teſtis tectum: aures patentiores, nec adeo mucro-

 natas

natas habebat, vt illud quod in scholio ad Monardem exhibitum: cauda breuis erat, duobus digiti humani extremis articulis non maior, tota etiam orbiculatis tessellis tecta: ventrem nulla crusta tectum fuisse, sed villis dumtaxat obsitum, pictura repræsentabat, quemadmodum etiam crurum posteriorem partem, atque guttur, & nates: posteriores pedes ternis digitis & calcari præditos fuisse pictura fidem faciebat, anteriores vero dumtaxat binis & calcari, nisi à pictore fuerint prætermissi: penem satis longum & exertum habebat.

Ceterum istam varietatem oriri arbitror è Prouinciarum, in quibus hoc animal viuit, diuersitate: è varijs enim regionibus adferri certum est.

Qui de hoc animali scripserint, Consaluum Ferdinandum Ouiedum primum fuisse comperio: reliqui enim qui aliquid de illo tradiderunt, ab ipso desumpsisse videntur. Is igitur cap. XXII. sui Summarij Bardato appellat, hoc est, panoplia, siue integra armatura tectum, & κατάφρακτον, his verbis, quæ ex Italico sermone Latina faciebam.

Κατάφρακτος, siue vndique armis munitus, vel, vt Italicum exemplar habet, Bardato, animal est aspectu admirabile, valde diuersum ab ijs quæ aut in Hispania, aut in alijs Europæ regionibus conspiciuntur. Quadrupes est animal, totumque corpus cum cauda corio tectum habet simili cortici Lacerti, de quo infra sumus dicturi [*Crocodilum Americanum intelligit*] coloris inter album & cineraceum

mixti,

mixti,ad album tamen magis accedentis. Eiusdem vero est formæ cum equo vndique armis munito;caniculæ autem vulgaris magnitudine : non est animal noxium ; domiciliumque habet in terrenis tumulis,pedibusque , terram egerendo,sua latibula fodit cuniculorum instar. Capiuntur hæc animalia vel retibus, vel balistis petita occiduntur , magna autem ex parte sementis tempore, quando stipulæ aduruntur , aut agri coluntur vt gramen producant in boum & animantium pabulum. Aliquoties me hoc animali vesci contigit, ac sane melioris saporis quam hœdos, & salubrem cibum esse comperiebam.Ceterum si hæc animalia in ijs Prouincijs conspecta fuissent, in quibus equos vndique armatura muniendi consuetudo originem sumpsit , ex huius animalis aspectu exemplar desumtum opinari quis posset.Hæc Ouiedus.

Licet porro huius animalis saporem adeo commendet Ouiedus, Iosephus tamen â Costa Historiæ Natural.& Moral.Indiæ Occidentalis lib.IV.cap.XXXVIII.non est eius opinionis, longeque Yuanæ carnem præfert, animalis de quo proxime sequentibus paginis agemus.

Ignauus siue Agilis, Animal.

Animal illud,quod supra Ignauum siue Torporem nominari in Brasiliæ descriptione diximus ,idem Clusius ex pictura ad se missa ita describit.Erat,inquit , hoc animalculum (quantum ex notis ad me missis colligere poteram) pedem & septem vncias longum ; eius ambitus , quia exenteratum , & siccitate contractum erat , longitudinis proportioni non

respondebat:nam si,qui mittebat, veram eius crassitudinem adnotauerat, ea sex vncias non superabat:caput autem fere binas vncias erat latum,paullo minus longum,collum non adeo crassum vt pictura refert, quia oblongioribus densisque pilis,quemadmodum & totum corpus,tectum erat,nullamque caudam habere demonstrabat pictura; atque etiam cauda carere ab ijs qui illud viderant, postea intelligebam: pilorum color ex fusco quodammodo spadiceus, siue potius qualis fere in crassiore illa lanugine magnas & crassas Indicas nuces tegente conspicitur: crura habebat breuia, tres vncias dumtaxat longa, hirsuta, pedes tribus longis praeacutisque vnguibus praeditos,ijsque contiguis,quorum medius alijs longior,vt ad scandendum quam ad gradiendum magis apti viderentur.Haec sunt quae tum ex pictura,tum ex notis ad me missis obseruare mihi licuit, pleniorem & exactiorem historiam daturo, si ipsum animal conspicere & obseruare potuissem.

Ceterum inter eos qui de Americae prouincijs scripserunt,paucos huius animalis mentionem facere comperio, vno Consaluo Ferdinando Ouiedo excepto,qui sane cap. XXIII. Summarij Indiae Occidentalis,luculentam eius historiam tradit:eam quia huius animalis naturam & mores graphice depictos continet, hic in lectoris gratiam adijcere volui.

Perrillo ligero.

Perrillo Ligero,inquit(Hispanica enim lingua scripta est ea Historia, ego sic Latina reddebam)siue Canicula agilis, animal est omnium quae viderim ignauissimum; nam adeo

lente

lente mouetur, vt, ad conficiendum iter longum dumtaxat quinquaginta passus, integro die illi opus sit. Primi qui illud conspexerunt Christiani, in memoriam reuocantes, Aethiopem in Hispania Ioannem album appellari solitũ, per antiphrasin videlicet, vt oppositum intelligeretur, sic istud animal reperientes, & eius naturam considerantes, nomen illi indiderunt eius naturæ prorsus contrariũ, agile appellantes, quum adeo tardum & ignauum esset.

Est vero hoc animal ex eorum numero quæ in Continente maxime admirabilia sunt, propter dissimilitudinem quam habet cum reliquis animalibus: binos palmos longum est, quum plenam magnitudinem adquisiuit, aut paullo maius; crassitudo fere longitudini respondet. Quatuor exiles pedes habet, eosque quatuor vnguibus præditos auium instar, ijs tamen simul connexis, & minime aptis ad corpus sustinendum: nam propter pedum exilitatem & corporis grauitatem, ventrem quasi rependo per terram trahit; collum in sublime elatum & surrectum gestat, prorsus æquale ad supremum vsque fastigium, pistilli instar, in quo facies sita, orbiculata, non valde dissimilis noctuæ, ipsis pilis circulum formantibus, paullo tamen longior quam lata: paruos habet oculos & rotundos, nares simiæ instar, os valde exiguum: collum nunc in hanc, modo in illam partem torquet, tamquam attonitum. Summum horum animalium desiderium esse videtur, vt vel arbores, vel palos conscendere queant; ideo magna ex parte

 in

in arboribus, vel etiam in altissimis earum ramis conspiciuntur, quas longis vnguibus apprehendentes, lente conscendunt. cauda caret, pilosque habet ex albo cineraceos, vt taxus fere. Eius vox à reliquorum animalium voce valde differt, quia canendo sex voces per interualla dumtaxat profert, vnam altiore tono quam alteram, semper deminuendo, videlicet, vt prima sit altioris toni quam reliquæ, deinde aliæ sensim descendendo minuantur: nam quemadmodum si quis canat, la, sol, fa, mi, re, vt, sic hoc animal simili tono pronunciat, ha, ha, ha, ha, ha, ha. Et, sicut capite de Bardato dicebam; si id animal conspectum fuisset in illis regionibus, in quibus equos armatura muniendi consuetudo originem habuit, ab eo animali exemplum desumptum fuisse videretur: sic primus Musices inuentor, eius initia ab huius animalis cantu formasse dici posset, potius quam ab vlla alia causa: nam hoc animal per sex has voces nos idem docet, quod per la, sol, fa, mi, re, vt, intelligere licet. Sed vt ad eius historiam reuertamur, nocte dumtaxat hoc animal cantat, per modica interualla sex illas voces repetendo; interdiu nunquam cantare auditur: eam ob causam, & propter illius exiguos oculos, nocturnum animal esse arbitror, ac obscuritate & tenebris delectari. In ædes translatum, naturali sua tarditate mouetur, nec acclamatione vlla, aut impulsione, gradum accelerat. Alui aliquando domi hoc animal, & quantum ego, vel alij qui etiam aluerunt, obseruare potuimus, numquam vlla re vesci deprehendimus,

mus, sed ex aere viuere existimauimus, quia caput & os ad eam partem semper obuertere conspiciebamus, vnde ventus spirabat, potius quam ad aliam; ex quo apparebat aerem illi valde gratum esse. noxium animal non est, neque mordet, imo nec etiam mordere potest, propter oris angustiam: verum adeo foedum aut ignauum animal videre non memini. Arborem nactus quam conscendere queat, etiam in altissimos eius, vt dixi, ramos euadit, in quibus octo, decem, vel viginti dies hærebit; nec sciri potest qua re vescatur. Hactenus Ouiedus.

Iosephus à Costa lib. IV. Natural. & Moral. Histor. Ind. Occidental. cap. XXXVIII. huius animalis etiam mentionem facit, & formicis vesci tradit: tres autem dumtaxat vngues in singulis pedibus illi tribuit, vt illud habebat cuius descriptioné exhibuimus, tametsi Ouiedi descriptioni per omnia non respondeat, quod vetustati resiccati animalis tribuo, quæ natiuam eius faciem, & formam corruperat.

Verumtamen considerandum, an hic Ignauus, animal illud sit, de quo agunt Andreas Theuetus cap. LII. Singularium Franciæ Antarcticæ, & Ioannes Lerius cap. X. Historiæ Americanæ, quodque ille Haij siue Hauthi appellat, Lerius vero Haij: vterque enim illi tribuit simiæ faciem, cutem hispidiam & villosam, crura hirsuta, ternos in singulis pedibus oblongos & acutos vngues: plerumque in arboribus versari, captum autem sine difficultate cicurari & domesticum fieri; à nemine con-

ſpectum quidpiam edere, ea de cauſa à pleriſque ex aere viuere exiſtimari: neuter tamen tanta ignauia præditum eſſe dicit, aut cauda carere ſed breuem caudam habere, vterque ſcribit. Lector ea quæ apud dictos Auctores extant, cum his quę ex Ouiedo protuli, conferre poterit.

Iam Lacertorum, quos in cibum Americanos adhibere ſupra diximus, multa ſunt genera. Vnum inprimis eſt quod Yuana dicitur: qualem à ſe viſum Cluſius ſcribit his verbis.

Iuana Lacertus.

Habebat, inquit, ab extimo roſtro, ſiue ore ad extremam caudam (quæ tamen non integra, ſed mutila) trium pedum cum ſemiſſe longitudinem: corporis ambitus tredecim vnciarum erat, tota cutis partim cineracei, partim fuſci coloris, veluti ſquamis tecta, in dorſo quidem, cruribus & caudæ initio, maioribus, in ventre autem minoribus: caudam ab eius initio ad dimidiam partem ſquamæ ſerie quadam ambiebant, vt quarta quæque ſeries ex maioribus ſquamis conſtaret, deinde reliquæ ad eius extremum æquales eſſent & maioribus ſimiles: à ceruice ad extremam caudam, ſeries planarum ſed mucronatarum ſerræ inſtar ſpinarum, ſecundum dorſi longitudinem porrigebatur: caput tres vncias longum, & quibuſdam ſquamis tectum, oris rictus binas. magnos oculos habebat (qui in icone non fideliter expreſſi, quemadmodum nec ſquamarum ordo & ſeries toto corpore) & binas nares prona & fere extrema capitis parte: ſingulæ mandibulæ vtrimque ſingularem exiguorum dentium ordinem habebant, numero viginti ſex aut viginti ſeptem;

paullo

paullo acutiorum in ſuperna mandibula : pone caput in vtroque latere foramen habebat inſtar branchiarum in piſcibus : ſub mento palearia ſiue ingluuiem ad pectus vſque propendentem habebat : quatuor cruribus erat præditum ſquamoſos pedes habentibus, quorum bina anteriora breuiora & minus craſſa erant poſterioribus, & eorum pedes minores, quinos breuiores digitos habentes, interiorem & exteriorem binis articulationibus conſtantem, duos illis proximos tribus, medium quatuor: omnium vngues breues & nigri erant : poſteriora autem crura anterioribus longiora & craſſiora, pedes etiam paullo maiores, quinos ſimiliter digitos habentes, quorum interior breuior biniſque dumtaxat articulis præditus, illi proximus tribus, tertius quatuor, quartus, qui longiſſimus, quinque, poſtremus exterior, etiam quatuor, paris cum tertio longitudinis, omnium ſimiliter vngues nigri, & longiores quam in anterioribus pedibus : poſteriorum etiam crurum ſingulæ coxæ, à poplitis parte genu proxima ad inguina vſque, ſerie quadam veluti cotyledonum, numero viginti trium, erant inſignitæ, quo facilius, vt arbitror, arbores ſcandere poſſet. Verumtamen non omnia huius generis animalia eiuſmodi veſtigia habent : nam è binis quæ apud ornatiſſimum virum Chriſtianum Porretum videbam, maius æqualis cum deſcripto erat longitudinis, in eius tamen coxis poſteriori-bus nulla cotyledonum veſtigia extabant : at in minore, quod elegantiſſimi & veluti argentei erat coloris, veſtigia quidē illa obſerua-

bam,ſed longe minora & pauciore numero, nempe quatuordecim in ſingulis interioribus poſterioribus coxis: an vero ea nota mas à femina diſtinguatur, ignoro: in maiore enim Porreti, cotyledonum veſtigijs carente, ingluuies illa in gutture propendens non apparebat, minus autem eam habebat: quemadmodum & illa Yvanæ pictura, quam Iacobus Plateau mittebat, cuius longitudinem & craſſitudinem ex filo quo animal à ſe adſeruatum dimenſus erat, erat, maioris, cuius hiſtoriam dedi, longitudini & craſſitudini prorſus reſpondere comperiebam.

Ceterum inter Recentiores qui huius animalis meminerunt (veteribus enim ignotum fuiſſe arbitror) neminem legere memini, qui eius exactiorem deſcriptionem dederit quam Conſaluus Ferdinandus Ouiedus. Is enim cap. III. libri XIII. Hiſtoriæ Generalis & Naturalis Indiæ Occidentalis Yvanam deſcribit his verbis, quæ, Latine reddita, ſic habent.

Yuana apud Ouiedum. Yvana animal dubium eſt, & carone ſit, an piſcis, incertum: nam & in fluminibus verſatur, & arbores ſcandit. Eam ob cauſam dubius ſum terreſtriane inter animalia, an inter aquatica reponere debeam. Serpentis autem genus eſt horribile aſpectu, ei qui non agnoſcat: pedes lacerti habet, caput etiam eiuſdem formæ, maius tamen: caudam quatuor aut quinque palmos longam, vel longiorem, aut breuiorem, pro corporis ratione: maioris corpus binos palmos cum ſemiſſe longum eſt, palmum aut paullo amplius craſſum:

sem : pauca ex hoc animalium genere eam magnitudinem superant ; eorum autem quæ infra eam magnitudinem, magna est varietas, sic vt paruis lacertis pares quidam reperiantur. Secundum dorsi longitudinem spinam habet dentatam & aculeis præditam: dentes acutissimos, & guttur satis longum & amplum, à mento ad guttur vsque propendens. Adeo taciturnum est hoc animal, vt neque strideat, neque gemat, imo quocumque etiam loco alligatum nullum strepitum edat, aut cuipiam noceat, sed istic decem vel etiam viginti dies sine cibo & potu hæreat: si tamen præbeatur, aliquantulum edat vel ex cazabi (placentæ id genus est ex quadã radice factum) aut herba aliave re quapiam. Anteriores pedes longi sunt; longis etiam vnguibus præditi, quales auium vngues, sed infirmis, vt nihil apprehendere possit. Melioris est saporis, quam blandi est aspectus: eius enim facies adeo est horrifica, vt nemo, nisi generoso animo præditus, expectare audeat: nemo contra ab eius manducatione abstineat, nisi qui eius mansuetudinem & bonum saporem ignorat. Hæc autem animalia adhuc pusilla tam celeri pedum motu per summam aquam fluuios & riuos traijciunt, vt nec aqua impedire illorum natationem, nec ipsa mergi possint : eam autem natandi rationem obseruare solent, donec palmum sint longa: nam eam magnitudinem excedentia, per terram infra aquam gradiuntur, quia propter grauitatem natare non norunt. Generant in terra secundum flumina & torrentes, & quasi assidue in aqua versantur.

fantur. Eſt igitur hoc animal, vt dixi, horribile & terrorem initio incutiens, ſed boni ſaporis, præferendum optimis etiam cuniculis Hiſpanicis: ſic vt Chriſtiani, qui hoc animal ſemel guſtarunt, valde æſtimare cœperint, nec pecunijs parcant, quandocumque redimere poſſunt. Vnam tamen noxam adferunt, de qua multorum querimonias audiui, illis videlicet qui lue Venerea aliquando laborarint, ſi huius animalis carne veſcantur, veteres dolores recrudeſcere, tametſi iam aliquamdiu ſanati fuerint. In Americæ continente viuens, ſæpius ex hoc animali manducaui, non & contemnendum cibum eſſe comperi. Eos autem quos meam hiſtoriam in his locis legere continget, edoctos volo (ſi Indi deſint quos conſulere poſſint) vt Yuanæ oua frigere volentes, oleum aut butyrum non adijciant, quia numquam percoquere poſſent, ſed eorum loco aquæ momentum addant: certum enim id eſſe expertus ſum. Vnum porro animal Yuana pariet quadraginta, aut quinquaginta, vel etiam plura oua, quæ boni ſunt ſaporis, vitellumque & albumen continent, perinde ac gallinacea oua, tenuiore autem teſta ſunt prædita, & rotunda, nuciſque magnitudinem non ſuperant.

Iuana oua vt frigenda.

Huius animalis ſimiliter meminerunt plerique alij, inter quos Gomara, Cieça, & Ioſephus à Coſta.

Franciſcus Lopez de Gomara quidem in Mexicana hiſtoria, de ea multa ſcribit, atque addit caudam inflectere & conuoluere inſtar venatici canis, quo lepores perſequi ſolent; inſuper hæc animalia pingueſcere, ſi illorum al-

uus in arena fricetur.

Petrus vero Cieça cap. IX. Primæ partis Chronici Peruani. Istorum autem vterque Yguana appellat.

Iosephus à Costa Histor. Natural. & Moral. Indiæ Occidentalis cap. XXXVIII. lib. IX. eiusque carnem longe sapidiorem esse dicit Armadillo carne.

Omnia porro huius generis animalia quæ mihi videre contigit, prolixam habebant caudam, eamque in longum protensam, non conuolutam.

Sed & Gesnerus hoc animal intelligere videtur in prima figura & descriptione quæ est pag. 357. Nomenclatoris aquatilium animantium.

Porro idem Clusius de exuuijs Serpentum & iconibus à docto viro ad se missis sic scribit.

Serpentis Indici historia.

Prior figura, inquit, Serpentis erat, vt ipse scribebat, Indici, cuius pellem inter pleraque alia exotica adseruaret. Erat vero illa (vt ex mensura ad me missa obseruabam) octo pedes Romanos longa: de crassitudine nihil pronunciare possum, quia eius mensura non fuit addita, neque in epistola vllam illius mentionem faciebat, sed quantum ex pictura coniecturam facere licet (si quidem iusta proportio à pictore obseruata fuerat) quatuor vnciarum dumtaxat amplum fuisse eius ambitum arbitror, vbi crassitudo maxima: totum corpus squamis tectum habuit reliquorum serpentum modo, dorsum autem variarum & elegantium formarum nigris macu-

lis

lis conſperſum: ſupina vero pars tota candicans erat, eius os aliquot hamatis dentibus armatum lingua tenuis & biſulca.

Cuiuſnam porro ſit generis, difficile pronunciari poſſe exiſtimo, quia, teſte AEliano, multa variaque Serpentum ſunt genera, quorum ſpecies omnes perſequi velle, infinitum foret: niſi quis forte cenſeat hunc ex eorum eſſe genere, quos idem AElianus lib. XVII. de Animalibus cap. II. tamquam pigmentis diſtinctos, ſic verſicolores ſpectari ait, magnitudine inferiores ijs qui ſedecim cubitorum in India gignuntur.

Ceterum qui plura de Serpentibus volet, conſulat Cl. V. Conradi Geſneri Hiſtoriæ Animalium lib. V. qui eſt de Serpentium natura: in illa enim quidquid Veteres & Neoterici de Serpentibus ſcripſerunt, congeſtum reperiet.

Alterius, ſed Lacerti picturam, idem ad ſe miſſam ſcribit, his verbis.

Lacerti Indici hiſtoria.

Quatuor inquit pedes Romanos cum ſemiſſe longus erat ille Lacertus, vndecim autem vnciarum medio corpore eius ambitus, quantum ex menſura picturæ adiuncta obſeruare poteram: ea ratione (ſi pictor iuſtam partium proportionem imitatus eſt) capitis & colli longitudo vſque ad anteriora crura (quadrupes enim eſt reliquorum Lacertorum inſtar) erat circiter decem vnciarum, ab anterioribus vero cruribus ad poſteriora, decem & ſex, reliquarum duodetriginta vnciarum longitudinem cauda, in longum & tenuem mucronem ſenſim deſinens, explebat: elegantiſſimus

mus autem eius color ; nam tota prona pars, licet fusca, albis tamen flauisque maculis quadrangula & rhomboide forma distinctis conspersa, quibus etiam nigræ intermixtæ : supina vero pars non adeo fusca, sed albis tamen etiam maculis varie distincta, quemadmodum crura & cauda, cuius prona pars quendam veluti neruum secundum longitudinem protensum habebat : crura satis crassa erant, pedibusque in quinque longiusculos digitos fissis prædita, quorum vngues nigri, longi & acuti: oris rictus, cuius prona pars longior quam supina, satis magnus, dentibus firmis & curuis armatus.

Paullò post alterius exsuuias ab amico missas sic describit.

Peregrinus erat hic Lacertus, quem exenteratum & suffarcinatum in suo museo repositum cum varijs alijs exoticis habebat, qui iconem mittebat. Vnde vero nactus esset, aut qua in Prouincia repertus, non adscribebat: filum tamen, quo eius longitudinem à capite ad extremam caudam dimensus erat, adiunxerat, quod reperiebam trium pedum esse; illud vero quo eius ambitum, nouem vnciarum : collum crassum habuisse, ex pictura coniecturam faciebam, caput breue, rostrum longum & angustum, oris rictum non amplum, mandibulam inferiorem longiorem superiore, vtramque paruis, acutis tamen dentibus armatam : caudam sensim in longum mucronem desinentem : quatuor crura reliquorum lacertorum instar, quorum singuli pedes tribus digitis antrorsum spectantibus

erant

erant præditi; & breue calcar posteriorem pedis partem, siue calcaneum occupabat: anteriorum quidem pedum digitos breuiores fuisse & æqualis longitudinis posteriorum vero longiores, & illorum medium longissimum, omnes autem acutis vnguibus munitos; pronam similiter totius corporis, capitisque & caudæ, atque etiam crurum partem habuisse cutem paruis squamis tectam, nigroque colore tinctam, per quem plurimæ dispersæ fuissent albicantes maculæ: supinam vero subalbidi coloris latioribus maioribusque squamis constantem.

IAm Arborum & fructum quorumdam in America nascentium, eorum tamen modo qui rariores habentur, ex eodem Clusio historiolam texamus.

Mangle arbor.

Mangle arbor est, inter eas quæ in Occidentali India vulgariter nascuntur, selectissima, cum ad ædificiorum fabricas, tum ad reliqua fabrilia. Crescit vliginosis locis, littore maris, salsuginosisque fluminum & torrentium in mare delabentium ripis: folia habet maioribus pyri folijs similia, crassiora tamen, & paullo longiora: siliquas binos palmos longas, aut maiores, easque crassas, Cassiæ solitiuæ fructui pares, fusci coloris, pulpam instar coaguli, siue ossium medullæ similem continentes, qua Indi aliorum eduliorum penuria vescuntur: etenim licet amara sit, salubrem tamen cibum esse ferunt. Ego nihilominus ab eius esu in morbũ incidi, tametsi adeo delicatulus non sim, nec ab ijs cibis abstinere in penuria soleam, quibus alios vesci video: quinimo nulla etiam vrgente necessi-

necessitate, degustare non piget, vt commodius describere queam: eaque de causa hunc fructū degustabam: sed brutorum animantium, & silvestrium hominum potius cibus dicendus videtur. Admiranda autem eius arboris est natura; plurimæ enim simul crescunt, multique eius rami deorsum vergere, & in radices conuerti videntur: nam præter multos, quos erectos, folijsque onustos, atque ab inuicem seiunctos, reliquarum arborum instar, habet, frequentibus etiam alijs crassioribus & tenuioribus ἀφύλλοις sese ad aquam demittentibus, & sub terra aut arena radices figentibus, prædita est; qui, vbi apprehenderent, alios ramos sursum vergentes proferunt: etenim non minus firmiter hærent, quam primarius arboris truncus, sic vt ex multis caudicibus simul connexis conflata videatur arbòr, egregio sane spectaculo, & singulari huius arboris natura.

Nec etiam absimilis ea videtur Arbor, cuius, ex relatione Odoardi Lopez Lusitani Philippus Pigafetta cap. IV. lib. I. Descriptionis regni Congo, meminit his verbis, ex Italico sermone conuersis.

In Loanda insula, ad ostia fluminis Coanza, Regni Congo partem perluentis sita, nascitur arbor, Enzanda ab incolis nuncupata, celsa & semper virens, singulari natura prædita: nam ex eius ramis in sublime elatis, deorsum demittuntur veluti funiculi siue fidiculæ, quæ terram subeuntes, agunt radices, è quibus deinde aliæ plantæ exurgunt, & hac ratione multiplicantur. Sub harum externo siue primo

cortice inuenitur quaſi tela quædam, qua confuſa, purgata, deinde in longitudinem atque latitudinem expanſa, ſeſe tegunt tenuis fortunæ viri & feminæ.

Alium porro fructum idem ad ſe miſſum ſcribit ex Vingandecaou prouincia Noui Orbis, quam Angli à quibus primum obſeruata, Virginiam nuncuparant relatum.

Erat autem prorſus orbiculari forma, quatuor unciarum diametro, cortice duro præditus, foris læui & ſubfuſco, interne nigra membrana inducto, per quam ſparſæ quædam fibræ à pediculo ad ſummum: continebat vero pulpam nigram (quia non recens ſed ſiccus & vetûſtus;) acidique & quodammodo ſalſi ſaporis, in qua plurima grana inuoluta, ſubfuſci coloris, plana, & cordis (vt vulgo pingitur) formam referentia, medulla albicante prædita.

Quum porro hic fructus ex Virginia relatus eſſe dicatur, facile mihi perſuaderi ſinam illum eſſe, quem ejus regionis incolæ Macocqvver appellant, & (magno aliquo periculo liberati, vel bello defuncti, in lætitiæ ſignum, ſtructo igni aſſidentes) pulpa ſeminibusque exemtis, implent lapillis aut craſſioribus quibuſdam granis, ut majorem ſtrepitum agitatus & commotus edat, bacilloque aptantes manu tenent, perinde ac Braſiliani ſuum Tamaraca, ſed nullis pennis ornant, integrum autem fructum, & per medium ſectum in tabella idem exprimendum curabat.

Similem deinde anno ſecundo ſupra milleſimum & ſexcenteſimum à Chriſto natiuitate con-

te conſpiciebam apud eruditiſſimum iuuenem Ioannem de Laet Ioan. F. qui illo anno Amſtelredami redemerat ab iis, qui in varias prouincias nauigant. Orbicularis vero formæ non erat; ut meus, ſed paullo oblongior fuſco colore præditus; qui, me præſente apertus, nigram pulpam, ſuperioris pulpæ prorſus ſimilem; qua grana, alterius non diſſimilia, erant inuoluta, continere deprehendebatur.

Hic fructus non valde diſſimilis videtur Higuero tetraſyllabo Ferdinandi Oviedi, quam Generalis & Naturalis Hiſtoriæ Parte prima, lib. VIII. cap. IV. deſcribit his verbis: Higuiro arbor eſt prægrandis, inſtar Mori nigræ: fructum ferens Cucurbitæ rotundæ ſimilem, vel interdum oblongæ. Qui rotundus eſt, exacta rotunditate ſpectatur; ex eo crateras & alterius generis vaſa conficiunt. Materie eſt ſolida atque apta ad ſedilia, ſubſellia, ephippia, aliaque opera fabricanda, mali enim medicæ aut Punici materiei ſimilis eſt. Cortice facile delibratur: folio eſt oblongo, anguſto, ſumma cuſpide latiore, aqua ad pediculum vſque paulatim gracileſcit. Indi nonnumquam præ aliorum fructuum penuria, eiu c pulpa veſcuntur, quæ cucurbitæ pulpæ, dum adhuc viret, ſimilis eſt. Cortici color cucurbitæ. Maximus eius fructus libram aquæ continere poteſt; minimus vero pugnum magnitudine non excedit. Hactenus Ouiedus. Quem videat qui & de his & de alijs plura ſcire cupit.

Z 2 Illorum

Illorum, inquit, primus Baruce appellatus, admirabilis erat formæ, & in Guyana nasci ferebatur satis celsa arbore, Hura nuncupata. E multis autem veluti nucibus vncialis magnitudinis mirabili modo simul iunctis & connexis constabat, quæ in bina lignosa duraque putamina dehiscebant, & orbicularem planumque nucleum continebant cineracea membrana tectum. Eum vero fructum tot nucibus simul iunctis, & veluti in vnum caput coactis interdum crescere intelligebam, vt tamquam orbicularem clauam, geminum pugnum crassitudine æquantem & in multos angulos desinentem referre videatur. Huius fructus nucleo incolas vti dicebant, ad corpus vomitu & alui deiectione purgandum.

Arara. Arara fructum in Kaiana crescere, in arborene an humiliore planta, non erat adscriptum. Erat vero vncialis longitudinis, cute verius quam putamine constans, satis dura tamen, nigraque, longiore pediculo & inæquali nitens, vt plures flores inhæsisse viderentur. Incolæ eius confracti & in aqua elixi decocto, maligna vlcera lauant, ad ea curandum: aiebant etiam vtilem ad aluum emolliendam: quod de nucleo intelligendum arbitror, quo carebat fructus à VValichio acceptus: sed alium paullo post ad me mittebat Iacobus Garetus magis integrum, continentem nigrum nucleum siluestris oliuæ magnitudine.

Iuruua. Orukoria, fructus arboris in VViapock nascentis, Iuruvva appellatione, quo ad curanda vulnera vtuntur, hostium telis & iaculis in

in bello inflicta: fructus enim contusi vel confracti succum in vulnera instillare ferunt, ad ea consolidandum. Planus autem erat is fructus, pæne vnciam latus, & binas longus: sed contortus instar siliquæ Cytisi legitimi, longe tamen maior, valde rugosus, ciner acei coloris, semen planum continens.

Cunane.

Binas vncias longus erat Cunane fructus, itidem ex Americæ quadam prouincia, vt quidem arbitror, allatus, vnciam summo capite latus, deinde paullatim ad infimum vsque gracilior fiebat, dorso paullo elatiore, lænis, niger & splendens, tribus foraminibus summo capite præditus, vno superne, binis interne. Illum in pusilla arbore nasci ferebant, cui nomen Motremor: immaturus autem erat: sed plenam maturitatem adeptum, duplo maiorem asserebant; eumque supra prunas tostum, manducari ab incolis aduersus capitis dolores.

Varicoramori.

VVaricoramori fructum, secundum flumen Arrivvari crescere adscriptum erat; ad quam tamen rem vtilis esset, ignorari. Binos autem similes accipiebam, eiusdem quidem formæ, sed magnitudine differentes: nam vnus binas fere vncias longus erat, alter vncialem longitudinem non superabat; vterque tereti & rugosæ glandi similis, adstrictoriæ facultatis, qui alio cortice siue putamine tectus fuisse videretur.

Cropiot.

Cropiot, paruus & rugosus fructus erat; non valde dissimilis singularibus eius fructus articulis, quem Piper AEthiopicum appellant. & Auicennæ esse putatur, magna acrimo-

nia præditus, nigrumque semen continens, vt Piper AEthiopicum. Solere autem incolas eum fructum admiscere Tabaci folijs, adscriptum erat, quum illius fumum haurire vellent, ad capitis dolorem leniendum. Erant autem aliquot eius fructus funiculo traiecti, vt in icone videre fuit; quod incolas fecisse arbitros ad eos commodius resiccandum, vel, ut in promptu haberent, quando illis utendum.

De hoc fructu idem prolixius agit cap. XVI. libr. III. sub Echinati folliculi appellatione, quem ἀνώνυμον ante acceperat, tametsi Valichio referente, eius vsus ignotus esset Americano illi qui nomen indicarat.

Phaseoli quoddam genus est orbiculare, nigrum, splendens, quod lobo inclusum fuisse videbatur, ut ex hilo, quo præditus, conjecturam faciebam. Plures similes fructus per medium pertusos funiculo traiecerant incolæ, ut ornatus gratia, è collo suspensos sub sinistrum brachiũ admitterent oblique torquis instar supra pectus recum bentes.

Ricini etiam pusillum genus est, quale ex Guinea etiam aliquoties aduehi sunt. Eo porro nonnullos Empiricos aduersus varios morbos vti, non semel obseruabam: etenim quum vehementer purget, succedit illis interdum ex animi sententia: eam ob causam valde commendabant, & tanquam peculiare secretum sibi reseruabant.

Vsum idẽ ignorabat: erat autem phaseoli genus binis coloribus distinctum, rubro & nigro. Eius mentionem fecimus cap. XLI. lib. VI. nostræ Rariornm Plantarum Historiæ, item-

itemque adhuc cab. XI. lib. III. Exoticorum Historiæ.

Folia erant in Kayana & Viapock nascentia, arborisne vero, an alicuius alterius plantæ, non erat adscriptum: Draconis tamen arboris, cuius historiam primo Rariorum Plantarum dabam, foliis valde similia erant, cubitalis, vel etiam bicubitalis longitudinis, vncialis vero latitudinis infima, deinde paullatim in mucronem gracilescentia. Incolas aqua macerare dicebant, contundere, & in tenuia stamina diducere lini aut serici instar, quin & funes ex illis torquere ad tigna in suis fabricis colliganda idoneos. An alterius sit abud illos præterea vsus, ignoro.

Poma Nicaragua. In Nicaragua noui orbis prouincia pomi quoddam genus peculiare est, neque Hispaniolæ, neque vlli alteri Indiæ parti concessum. Pyri nostri ferme est specie, ligno interiore rotundo nucis crassitudine, & dimidio amplior, optimi & jucundissimi saporis: arbor procera exiguis folijs vestitur.

Hispani quum primum eam prouinciam subegerunt, propter vberrimam omnium rerum ibi repertam copiam, illam Paradisum Mahumetis nuncuparunt. Duo inter cetera fert hæc tellus, nulli præterea Indiæ regioni concessa, excepta Guatimala Hondurensis prouinciæ, & Mexici finibus, totoque nouæ Hispaniæ tractu. Vnum, pauonum quoddam genus est qui in Europam translati, vulgo Gallinæ Indicæ vocantur. Alterum, id quod Cacauate appellant, quod monetæ vsum illis præbet.

Id fert arbor modicæ magnitudinis, quæ nisi

calido loco, sed opaco viuit: nam simul ac sole tacta est, contabescit. Itaque fere in siluis vmbroso & humido loco seritur: neque id satis, sed iuxta eius generis arborem, aliam editiorem plantant: quæ simul ac adolescere cæpit, eius cacumen ita concinnant, aptantque, vt adulta ea arbor Cacauatem inumbret, defendatque ab æstu, vt solis radijs lædi non possit. Fructus amygdalarum specimen referens, siliquis quibusdam, velut cucurbitis includitur, crassitudine & latitudine cucumeris: annuo spatio maturescit. Maturas eas vbi legêre, excussum folliculis fructum, super storeis expassum ad solem exponunt, donec humorem exsudauerit.

Potus ex eo cōficiendi ratio.

Potum ex eo confecturi, in testa fictili ad focum exsiccant, mox lapidibus quibus pinsitur panis, contusum & commolitum, fusumque in pateras (quæ cucurbitæ specie è certis arboribus per omnem Indiam nascuntur) paulatim aqua temperant, atque interdū paullulo pipere quali vulgo vtuntur [Axi intelligit, quod vulgo Piper Brasilianum appellant,] condiunt, eoque in potu vtuntur. Porcorum ea verius colluuies, quam hominum potio. Quum eam prouinciam peragrarem, plus quam integrum annum, ab tali lora abhorrui: sed quum vini copia mihi non esset, ne semper aquam bibere cogerer, alios imitari didici. Ea cœlia sapore aliquantum amaro, satiat & refrigerat corpus, minime tamen inebriat. Hæc præcipuà carissima merx earum regionum est: neque quidquam aliud Indi maiori in pretio habent, vbi quidem in vsu est. Hactenus Benzo.

Benzo.

Amygdalę porro ſuo putamini exemtæ, hic fructus prorſus ſimilis eſt, tenuique membrana tegitur, nigra nucleum continente, qui in binas aut ternas partes oblique diuiditur, ſubfuſcum, & cineraceis venis diſtinctum, adſtringentis & ingrati ſaporis: quare mirum non eſt, ſi qui ante non deguſtarunt, à potione ex eo confecta abhorreant: ego ſane puram aquam longe prætulerim. Eam tamen claris viris propinant, quemadmodum nos aromatites aut generoſius aliquod vinum ſolemus, referentibus ijs qui pauculos fructus retulerant, è quibus tum binos impetrabam: ſed diuerſis deinde temporibus alios nanciſcebar.

Porro inter Arbores quæ fructum in lobis aut ſiliquis gerunt, præcelſa quædam in Braſilia naſcitur iuglandis folijs prædita; cuius lobum Cluſius ſic deſcribit.

Erat inquit, hic lobus articulatim diſtinctus inſtar ſiliquarum Acaciæ, ſingulorum articulorum medio etiam tumente, quo videlicet ſemen continebatur, binos pedes Romanos cum triente longus, quatuor vncias (vbi latitudo maior) latus, atque planus inſtar prædictarum ſiliquarum Acaciæ, cineraceo quodammodo colore præditus, qui tamen ante maturitatem lectus fuiſſe videbatur: nam ſemina contracta & rugoſa erant, orbiculari pæne figura, nuci vomicæ non valde diſſimilia, quodam veſtigio impreſſo ea parte, qua lobo adhæſerant, coloris ex albo rufeſcentis.

Alter Braſilianus lobus octo vnciarum longitudinem habebat, quatuor cum ſemiſſe

 lati-

latitud nem;planus,dorſo gibbero & alto,craſſioribus & magis tumentibus ipſo meditullio, quia forte ad plenam maturitatem nondum peruenerat quum legeretur: ſpiſſitas tamen dorſi & alui, à lacunarum,in quibus ſemen latuerat, cauo, vnciæ vnius,materia adprimè ſpongioſa conſtans,lacunæ binas vncias longæ numero decem,in quibus ſemen quaſi quadrãgulare vnciam longũ, oblique ſitũ: lobi color externè ex fuſco cineraceus.

Quamuis autem infinitæ fere quum animãtium tum Arborum, fructuum & fruticum apud nos minime vſitatorum in Nouo Orbe ſpecies reperiantur: nobis tamen pauca hæc ex Cluſio & alijs excerpta, pro huius libelli modulo ſatis erunt. At quum in priori libro Manati piſcis facta ſit mentio, eiuſq; vt & alterius Reuerſi nominati, hiſtoria apud dictum Cluſium accurate deſcripta exſtet, facere non potui quin eam hic ſcriberem: quæ ſic habet.

Manati. Valde autem fœdum & turpe animal Manati videtur: capite vitulino, ſed paullò ſtrictiore, oculis fere caninis; valde craſſa & dura, breuíbuſque & raris pilis ex cineraceo fuſci coloris obſita cute præditũ:exuuij longitudo(nam dimenſus ſum)pedũ decẽ & ſex cum ſemiſſe erat, craſſitudo autem ſeptem cum ſemiſſe; hoc eſt, ſeptem pedum cum ſemiſſe erat corporis ambitus: bina crura ad humeros habebat non longa,latos pedes breuibus vnguibus præditos ,villos in poſteriore corporis parte, ſed caudam quodammodo informem & latam, cuius motu celeriter nataſſe ferebatur:

tur: ab vmbilico autem ad caudam sensim gracilescebat, deinde cauda paullo latior fiebat: in eius capite lapides repertos fuisse intelligebā quos ad comminuendum calculum vtiles esse dicerent.

Cuius adeo rei causâ, tum propter animalis formam, & alias notas, omnino mihi persuadebam illud animal esse, quod *Manati* vocari, Hispani qui Americanam historiam scripserūt testantur: nam Franciscus Lopez de Gomara cap. XXXI Historiæ generalis, de eo in hunc modum scribit, vt in scholio ad cap. de Tiburone lib. de Simpl. Medic. ex Occidentali India delatis, auctore Nicolao Monardes, adnotabam, & hic denuo repeto.

Manati Manati piscis est nostro orbi incognitus, qui in mari & fluminibus reperitur, vtri similis, duobus dumtaxat pedibus ad humeros præditu rotundis, & quatuor vnguibus instar elephantiorum, quibus natat; ab vmbilico ad caudam gracilior fit: teterrimo est aspectu, capite bubalino, macilentiore tamen ore & crassiore mento, oculis admodum exiguis pro corporis mole, quæ interdum ad viginti pedum longitudinem accedit: corio est denso, quibusdam pilis cineracei coloris obsito. Feminæ pariunt vaccarum modo, binaque vbera habent quibus suos catulos lactant. Eius caro quadrupedis verius quam piscis æstimari possit: etenim iuuencæ carnem sapit; sale macerata, Thynni, sed gratioris est saporis, diutiusque adseruari potest. Illius pinguedo siue seuum optimum. nam rancedini non

non eſt obnoxium: eo ipſius corium parare ſolent in calceorum & aliarum rerum vſum. Inueniuntur in eius capite quidam lapides ad calculum & coli dolores vtiles. Et hæc quidem de piſcis forma. deinde addit:

Occidi ſolent hi piſces dum herbas in fluuiorum ripis naſcentes depaſcuntur: ſed etiam retibus capiuntur iuniores. Iſta ratione paruulum captum, Regulus Caramatexi, in Inſula Hiſpaniola XXVI. annorum ſpacio in lacu Guaynabo dicto aluiſſe fertur, adeoque manſuetum euaſiſſe, licet iam grandem, vt veterũ Delphino non cederet: nam de manu cibum ſumſiſſe, & inclamato nomine *Mato*, quod Magnificum eorum lingua ſonat, lacum egredi ſolitum, ad ædes cibi ſumendi gratia perreptaſſe, deinde ad lacum remeaſſe comitibus pueris atque etiam viris, quorum cantu delectari videretur: imo tergo inſidere interdum permittentem, denos ſimul ex vna lacus parte in oppoſitam, ſine vlla difficultate transvexiſſe, nec vllos merſiſſe, ſic vt illius loci incolis ſummam voluptatem adferret. Ceterum quum Hiſpanus quidam, periculum facere volens, an adeo dura cute præditus eſſet, vt ferebatur, inclamato & repetito nomine *Mato, Mato* in eum iam ex aqua prodeuntem haſtam vibraſſet, adeo indignatum, tametſi non fuiſſet vulneratus, vt ex aqua deinceps emergere nollet, quantumlibet eius nomen inclamaretur, ſi viros veſte indutos aut barbatos, Chriſtianis ſimiles, conſpiceret. Valde porro intumeſcente fluvio Haibonico, & in lacum Guaynabo ſeſe effundente, Mato

Manati

Manati in mare regressus est, Reguloque Caramatexi & eius subditis magnum sui desiderium reliquit.

Ferdinandus vero Oviedus multis annis ante ipsum de hoc pisce egerat toto cap. x. libr. XIII. suæ Hist. Generalis & Naturalis Indiarum: & cap. LXXXIV. Summarij. Qia porro caput illud X. lib. XIII. Hist. Gen. longe ampliorem eius historiam continet, operæ pretium me facturum existimaui, si illam Latinam facerem, atque hic adijcerem, quandoquidem pleraque alia scitu digna continet, quæ nec Gomara, nec alius quispiam attigit. In hunc autem modum Ouiedus scribit.

Manati ingens piscis marinus, tametsi in magnis huius insulæ (Hispaniolæ videlicet) & aliarum Prouinciarum fluminibus assidue inueniatur, maioris est longitudinis & amplitudinis Tiburone. Qui plenam adquisiuerunt magnitudinem, fœdissimi sunt aspectus, nec multum absimiles vtribus illis in quibus Medinæ del Campo, & vicinis locis vehitur mustum. Caput habet iste piscis bouis instar, vel etiam maius, oculos exiguos pro corporis magnitudine: & binos crassos pedes tamquam alas brachiorum loco, quibus natat, circa caput sitos. Corio integitur, non squamis; valdeque mansuetum est animal, aduersa flumina subiens, & secundum ripas quas apprehendere potest herbas depascens, nec aquam egrediens. In Americæ continenti solent sagittarij ex cymba siue monoxylo hujusmodi pisces & alios plerosque occidere, quia in summa aqua natant: hamata itaque jacula conii

ciunt,

ciunt, in quorum summo tenuis sed validus alligatus est funiculus: ictus piscis fugit, funiculum autem laxat sagittarius, in cuius extremo ligni aut suberis fragmentum est adnexum, ne prorsus mergi queat funiculus, tum etiam vt appareat eius extremitas: piscis vero jam fessus ob profusum sanguinem & morti vicinus ad littus appellit: Tum sagittarius collecto suo funiculo donec supersit dumtaxat decem aut duodecim orgyiarum longitudo, eum ad terram trahit cum capto pisce, vel etiam donec vndis propellentibus terram contingat: sagittarius porro sociorum auxilio ex aqua educit. adeo autem magni sunt isti pisces, vt jugo boum opus sit, ad vnum vehendum. Interdum autem quum Manati jam saucius ad terram ab vndis propellitur, è cymba illum crassis lanceolis feriunt. vt citius moriatur, quia mortuus summa aqua fertur. Huius piscis caro præstantissima est, & quadrupedis carni adeo similis, vt qui integrum piscem non vidisset, sed eius dumtaxat partem aliquam resciſſam, bubulam esse sibi persuaderet: imo omnes mortales fallerentur, quia adhuc recens carnem magis sapit, quàm piscem. Quæ autem concisa & resiccata, singularis est, & multo tempore incorrupta seruari potest. Anno M.D. XYXI. ex hac ciuitate S. Dominici, in Hispaniam, Auilam vsque, vbi tunc erat Imperatrix, hanc carnem tuli, & in Castella, ex solo aspectu bubulam Anglicanam optimam esse censebant; coctam vero, non minus quàm Thynni carnem sapere; imo illa præstantiorem esse. Capiuntur etiam hi pisces

Ingens est piscis.

retibus

retibus ad id concinnatis. Habent porro isti pisces quosdam lapides siue potius ossa, in cerebro, coli doloribus & nephritidi valdè vtilia, vt ij asserunt qui in huiusmodi morbis periculum fecerunt. Debet autem hic lapis primum bene aduri, postea conteri & per cribrũ transmitti, deinde puluis ille ea quantitate quã Hispanicus regalis excipere possit, ex generoso vino albo vno haustu sorberi. Hac enim ratione sumptus manè diebus aliquot continuis, dolor adimi dicitur, calculusque comminui & in arenam resolui, quæ cum urina eijcitur. Istud à viris fide dignis, qui eius periculum fecerunt, intellexi, multosque conspexi eius rei gratia diligenter hunc lapidem perquirentes. Solent autem singuli Manati binos eiusmodi lapides in cerebro habere, paruæ pilæ palmariæ magnitudine, aut nucis balistæ (orbiculares. n. non sunt) ac interdum maiores, pro piscium magnitudine. Eandem vero facultatem hos lapides habere arbitror, qua præditi sunt ij qui in Coracini & Vmbræ capite reperiuntur, si credendum Plinio, qui in cuiusdam piscis capite veluti lapides reperiri ait, valde commendatos ad coli dolores, si ex aqua bibantur. Horum piscium nonnulli adeo magni sunt, ut quatuordecim aut quindecim pedum longitudinem superent, octo vero palmorum crassitudinem, circa caudam strictiores & quasi præcincti, à qua strictura deinceps cauda longior & crassior fit. Habet porro Manati circa pectus capiti proxima bina breuia brachia siue manus, cuius rei gratia Christiani nomen Manati indiderunt (Hispanis enim consuetudo est omnium

Nominis caussa.

qua-

quadrupedum anteriores pedes, manus appellare, & iste piſcis anteriore dumtaxat parte pedes habeat, illi manus pro pedibus tribuiſſe, Auribus caret, ſed earum loco exigua foramina habet per quæ audit. Eius corium ſimile vſtulati porci corio, digitum denſum, cineraceo colore rariſque pilis præditum: ex eo parato commoda cingula & calceorum ſoleæ fiunt, aliæque res ſimiles. Huius piſcis cauda à ſtrictiore illa parte, ad extremum vſque, tota neruoſa eſt: ex ea in partes conciſa, deinde ſoli per quinque aut plures dies expoſita & reſiccata, tandem in patella cocta ſiue verius fricta, multa pinguedo elicitur, tota enim in pinguedinem reſoluitur. Eſt vero illa pinguedo, ſiue butyrum, ad oua in ſartagine frigenda aptiſſimum, quia, licet vetuſtum, non ſit rancidum, neque mali ſaporis eſt; vtile etiam ad lucernas; nec deſunt qui in medico vſu commendent. Manati feminæ duo ſunt vbera in pectore; nam binos catulos parit, & lactat: quod de nullo piſce vnquam audiui, præterquam de hoc, & vitulo marino.

Ceterum creditur, in hac inſula Hiſpaniola, antequam natiuis incolis ſpoliata eſſet, aquatica hæc animalia cum piſce Reuerſo capi ſolita: quod ſcribere metuerem, niſi publicum & notum eſſet, atque à viris fidedignis accepiſſem. Et quandoquidem Hiſtoriæ ſeries eò me conduxit, vt Manati mentionem facerem, præſtat vt in hoc loco, potius quam alibi, de admirabili iſto negotio agam. Sciendum eſt itaque, quendam piſcem palmum longum, aſpectu fœdum, ſed ingenti animo atque in-

Reuerſus piſcis.

intellectu præditum, cum alijs piscibus interdum capi: eumque boni saporis esse, imo etiam ex optimis qui in mari capiuntur: nam sicca & firma carne non viscosa præditus est, quod assero, quia me illo vesci sæpe contigit. Aliquem autem ex hoc piscis genere in venationis vsum adseruare volentes, paruum, necdum adultum deligunt, & in aqua marina, esca eius naturæ conueniente alunt, donec eam quam dixi magnitudinem attingat, & ad venationem quam instituunt, aptus sit. Tum hunc piscem, alligato tenui sed valido funiculo, secum in cymba ad mare deferunt, conspectoque aliquo Manati, aliove pisce summa aqua natante, illico Indus sumptum in manus Reuersum piscem altera demulcet & blãditur vernaculo sermone, admonens, forti & valido sit animo, maximumque quem conspexerit piscem alacriter adgrediatur: atque quum commodum videtur, eum in magnos pisces conspectos emittit. Reuersus summa celeritate in testudinem aliumve quemlibet magnum piscem impetum faciens, eius lateri vel ventri sese adfigit & valide stringit. Piscis ictum & cõprehensum se sentiens à paruo illo pisce, nunc in hanc, modo in alteram partem se conuertens, per mare fugit: interea piscator Indus funiculum multas orgyias longum laxat, & tandem dimittit, quia in extremo vel lignum vel suber adnexum habet, ne subsidat, sed sui indicium præbeat. Post modicum temporis, Manati aut Testudo, quibus Reuersus adhæret, defatigati, versus littus feruntur: piscator autem sensim funiculum in

ſuam cymbam colligit, paucarum orgyiarum tenus, quibus paullatim Reuerſum cum ſuo captiuo trahit, donec terram attigerit, vndis etiam ipſum propellentibus. Illico Indi piſcatores in arenam deſiliunt, atque, ſi teſtudo capta eſt, eam conuertunt, vel etiam in ipſa aqua (nam periti ſunt natatores) & in ſiccum pertrahunt: ſi vero Manati ſit, eum feriunt donec mactent. Præda in littus pertracta, ſumma cum animaduerſione, & ſenſim amoliendus eſt piſcis Reuerſus: nam adeo firmiter prædæ adhæret, ut ſi quis vi adimere vellet, in partes diſcerperet. Indi blandis verbis id peragunt, magnas gratias agendo pro præda adquiſita. Habet porro Reuerſus piſcis ſquamas graduum inſtar diſpoſitas, ut oris humani aut equiui palatum, eaſque tenuiſſimis quidem, ſed acutiſſimis & validis ſpinis præditas (quibus ſe prædæ affigit) per maximam corporis partem ſparſas, præſertim autem toto dorſo, à capite ad dimidiam corporis partem, minime vero in ventre: & quia dorſo prædæ ſeſe affigit, Reuerſum ſiue Inuerſum proptereà appellant. Adeo autem ſtolidi ſunt iſti Indi, vt iſtum piſcem eorum ſermonem & blanditias intelligere exiſtiment, nec animaduertant hanc eſſe piſcis iſtius naturalem proprietatem, quum plerumque contingat Tiburones & Teſtudines in Oceano capi, quibus adfixi & inhærentes reperiuntur Reuerſi: vnde apparet, poſtea quam ſeſe alicui piſci adfixerunt, ſeſe ab eo liberare non poſſe, niſi cum temporis interuallo.

Meminit

Meminit etiam Petrus Cieca prima parte Chronici Peruani sub finem cap. XXX. In maritimis, inquit, multi reperiuntur crudeles Lacerti & alij magni pisces, atque Manati, juuencorum maguitudine & quasi forma, qui circa littora & insulas versantes, ad gramen pascendum egrediuntur, quando sine periculo id agere possunt: illico autem ad natiua loca reuertuntur.

Breuiter item eius mentionem facit CL. V. Gulielmus Roudeletius (Ouiedum sequutus) cap. XVIII. lib. XVI. de Piscibus, addens bouem marinum posse videri, quem Aristoteles cap. XII. lib. VI. de Historia Animalium viuos catulos parere scribit.

Idem etiam Reuersi piscis mentionem facit cap. XVII. lib. XV. de Piscibus, idque ax Ouiedo desumpsisse videtur.

Sed ante hos Petrus Martyr in Hispaniolæ descriptione Reuersi piscis mentionem facit, eumque ab incolis Guaicano appellari ait, & aliam cum eo piscandi rationem apud eos vsurpari tradit.

REGVM PERVANORVM *prosapia & series.*

QVVM & multis alijs rebus & inprimis auri & argenti prouentu, omnibus & Noui & Veteris Orbis prouinciis Peruana longe antecellat: non abs re forsan fuerit ad opusculi huius colophonem, Regum quorundam qui ibi dominati sunt, breuē adtexere catalogum.

Ingæ Peruanorum. Reges ſuos Peruani Ingas dicunt. Qui proximis ante Hiſpanorum aduentum temporibus ſceptra ibi tenuerunt, ex illis regionibus quæ circa Titicacam ſunt, veniſſe dicuntur. Eſt vero Titicaca lacus in Charcis, LXXX. milliaria ambitu ſuo complectens. Is per ingentem fluuium ad XL. milliaria delapſus, in alium minorem lacum exit, vel potius ab eo abſorbetur, non aliter quam de Alpheo Siciliæ fluuio veteres prodiderunt. Primum horum Regũ Indi Mango Capa faciunt, eumque non è muliere, ſed ſaxo prognatum ferent: quod hodieque non procul à Cuſcone monſtratur. Huic ex vxore Mama Guaca filius Sicheroca nomine natus eſt; qui patre ipſo bellicoſior, imperij fines longe lateque protulit. Ex hac & Mama-Cura natus Locuco Pangue paterno imperio cõtentus, pacis artes coluit, & iam prouectæ ætatis è Mama-Anauerque coniuge filium Mayta-Capa procreauit: qui ad paternam ditionem Cuſconẽ, totius poſtea imperij caput, adiecit. Ei mortuo filius Capa Iupangue ſucceſſit, qui nihil memorabile geſſit. Huic filius fuit è Mama-Cagna, Ruca nomine, nulla itidem re geſta nobilis, niſi quod numeroſam filiorum ex vxore Mama-Micay prolẽ reliquit. Horum vnus fuit Iaguar Guacinga Iupãgue, cui puero, dũ proceres de eo interficiẽdo deliberãt, ſanguineas ex oculis lachrymas roraſſe ferunt. quare illos miſericordia motos puerũ exponi iuſſiſſe: ſed à neſcio quo ad patrem relatum atque educatum, inſignem bellatorem euaſiſſe, & imperiũ valde auxiſſe. Hac patris virtutẽ Vira Cocham è Mama-Chiquia primogenitus imitatus eſt: cui filius è Muma-Yunto Cayã, Pachacoti nomine ſucceſſit. & belli gloria maiores

iores omnes longe superauit. Ab hoc Topa Inga Iupangue è Mama-Anauerque relictus hæres, amplissimas prouincias, Chilensem in primis suo adiecit imperio, arcemque Cusconicam à parente cœptam, exædificauit. Huius opus fuit Via regia, a Cusconica vrbe per Charcas populum ad Chilensem vsque prouinciam ducta. In hac per singulas leucas dispositæ erant cursoriæ stationes, sic vt tridui spacio regia mandata incredibili hominum celeritate (iumentis enim ante Hispanorum aduentum caruit Peruana) per CCXL. milliaria perferrentur: ac fere tantumdem viæ ab iter facientibus, quos Indi certo modo succollantes gestant, intra idem temporis spacium confici posset. Topa Inga decedens plures quam centum & quinquaginta filios reliquit: è quibus omnibus Guaynacapa (alij Cainacauam appellant) Mamæ-Oclo filius paternam hæreditatem adeptus, tam belli quam pacis artibus inclytus, tantas res gessit vt non immerito inter maximos totius Orbis Reges numerari possit. Nam & immensis terrarum spacijs imperium auxit, idemque optimis legibus, minus commodis abrogatis, fundauit, ac diu magna cum laude & incredibili subditorum erga eum reuerentia & amore administrauit. Obedientiæ huius & amoris subditorum erga dominum altera via Regia Quitonica æternum est monumentum, quæ septem illis Mundi miraculis merito annumerari potest. Eius hanc primam ferunt originem. Guaynacapa ad Quitonicum regnum debellandum proficiscens, quingentis circiter milliaribus (tot enim Quito à Cuscone abesse dicitur)

Arx Cusconica quando & à qua.

Guaynacapa.

dicitur)per aſperrimos montes & inuias pæne cautes exercitum ducere coactus fuit, non ſine ſummis difficultatibus & ærumnis; quibus ſuperatis,& Quitonico regno cum metropoli in poteſtatem redacto, ſubditi ad regem commodius domum reducendum, præaltis rupibus deiectis,iugis complanatis, vallibus multis ad triginta aut amplius orgyiarum altitudinem impletis,vere incredibili labore viam ei ſtrauerunt, tam planam vt vbique vel bigis eſſet peruia. Huius viæ etiamnum veſtigia, immo totum quaſi corpus exſtare aiunt; niſi quod in bello contra Hiſpanos, ad intercludendos commeatus & impedienda itinera, nonnullis locis interrupta aut obſtructa fuit. Nec ſatis hoc. Eidem Guaynacapæ ſubactam à ſe vrbem & regionem Quitonicam reuiſere cupienti, & per plana ſiue campeſtria iter facienti, ſubditi alteram viam non minori labore & induſtria quam primam illam per montana ſtrauerunt. Ea itidem in longitudinem quingentorum milliarium ſpacio porrigebatur: quadraginta pedes lata,altis vtrimque incluſa parietibus, ſignis paſſim conſtitutis quibus per arenoſa & vaſta loca ad certum iter viatores dirigerentur. Idem Guaynacapa idolis ſuis & inprimis Soli multa magnificentiſſima delubra exſtruxit,& opulenta ſupellectili alijsque donis cumulauit.In omnibus etiam vijs,quam late eius patebat imperium, quamplurima armamentaria & horrea fieri fecit:in quibus tanta vis annonæ, armorum & reliqui bellici apparatus erat condita,vt non ſolum regi & eius comitatui,verum etiam magnis exercitibus neceſ-

ſaria

ſaria inde præberi poſſent; eaque fere octonis aut denis milliaribus, vt plurimum vero vnius diei itinere à ſe inuicem diſtabant.

Solebant vero Peruanorum Ingæ ſiue Reges loco coronæ & ſceptri villo rubri coloris caput redimire ad inſtar diadematis: quod de temporibus vtrimque dependebat, & oculos propemodum contegebat. Ex hoc filum quoddam dependebat, quo omnia iuſſorum & voluntatis ſuæ momenta diſpenſabant. Eo enim quocumque vellent miſſo, & ab ijs quibus imperabatur aliquid, couſpecto, nefas erat vel ad momentum iuſſa differre; immo etiam, ſi Rex ita vellet, vel ad horam ſupereſſe. Reges olim lecticis ferebantur, è puro auro factis, deſtinatis ad baiulandi officium plus quam mille proceribus: quorum ſi forte quis ex improuiſo ceſpitaſſet, ſtatim eo interfecto, alius ſubibat. Regem ſine munere alloqui, aut vultum eius defixis oculis intueri, piaculare ducebant. In prouincias à ſe debellatas, Romanorum more colonias deducere ſolebant, indigenis alio transportatis.

Porro Guaynacapæ iam ſeni è filia Quitonici regis natus eſt Atabalipa: cui pater Quitonicum regnum teſtamento legauit. Hinc natum inter eum & fratrem (ſed ex alia matre) Guaſcarem diſſidium, Hiſpanis tam opulenti regni faciliorem reddidit ſubactionem, vt ſupra indicatum eſt.

FINIS.